


FLORII  
FRANCIS  
OPUSCULA  
VARIAE  
ERUDITIONI

1609



DE SANCTO GREGORIO  
ILLIBERITANO  
LIBELLI DE FIDE AUCTORE,  
NEC NON  
DE SANCTIS  
HILARIO ET HIERONYMO  
ORIGENIS INTERPRETIBUS  
DISSERTATIONES.



BONONIÆ MDCCCLXXXIX.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI THOMÆ AQUINATIS  
SUPERIORUM PERMISSU.



990004113620402531  
BSU Rm 1609/2

ОГРОД СТОЛІТНІЙ  
СУАТИЛІНІЙ  
СВЯТОГО АЛЕКСІЯ  
МОНОМІХІЯ  
САНКТІЯ  
ОМУРІЛІ ТА ОГРАДІ  
ОГІЕНІІ ДІЛІЧІ  
ОДНОІДІЛІ



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI

# JOSEPHO GARAMPIO

EPISCOPO MONTISFALISCI, ET CORNETI

FRANCISCUS FLORIUS

Præpositus Ecclesæ Metropolitanæ Utinensis.

**I**nter complures, quos Christiana antiquitas pro-tulit *de Fide* libros quidam est de cuius auctore vi-ri docti iamdiu inter se dissentunt! Hunc ego il-lustrandum suscepi, atque Illiberitano illi Episco-po, qui Luciferi Caralitani diu partes secutus est, Gregorio scilicet Bætico, tribuendum esse conclusi. An vero hac in quæstione pleraque minus obvia attulerim ( nec enim vel ii ipsi, qui mecum sen-tiunt, rem acu attigerunt, neque fas esse existimo

in

in tanta litterarum luce crambem recōquere ), a-  
liorum sit judicium , tuumque in primis , EMINEN-  
TISSIME PRINCEPS , quod plurimi semper feci :  
ab ipsa enim adolescentia quadraginta fere ab hinc  
annis selectæ atque uberrimæ eruditionis publicum  
specimen tunc exhibuisti , quum Benedicti III. Pon-  
tificis numo haud prius edito solerter usus es at-  
que opportune cum ad res illius ævi obscuriores  
explicandas , tum ad celebrem illam de Johanna  
Papissa fabulam accuratius discutiendam , quæ o-  
lim omnibus ferme Acatholicis pro suo in Sancti  
Petri Cathedram odio in deliciis erat , sed instau-  
rato nostra ætate bello , uno a te iectu , ut Gigas  
Philistæus a Davide juvene , confossa numquam re-  
viviscet . Alia quæ postmodum summa cum laude  
evulgasti , vel quæ prælo digna latent adhuc inge-  
genii tui monumenta prætero : ditissimam quoque  
prætero Bibliothecam , cæterosque hujusmodi thesau-  
ros , quibus celeerrimum apud exteras gentes , at-  
que immortale apud posteros nomen tibi compara-  
sti . Quemnam ergo te aut illustriorem , aut doctio-  
rem de controversia hacce Judicem eligere potuif-  
sem ? Disceptationi huic alteram adieci amicorum

fua-

suas de Hilario & Hieronymo Origenis interpretibus, sed salebris plenam, ut senio confectum facile possis agnoscere. Si quando vero tantum tibi otii supererit, ut eam prætervoles, expendas rogo quæ de auctore librorum in Jobum animadverti, cui perperam, nisi mea me fallit opinio, Arianismi nota inuritur. Neque vero miretur quisquam me infimi subsellii hominem hasce quisquilias tanto Ecclesiæ Principi inscribere. Non enim ut aliis perinde sum tibi ignotus, quippe qui semel atque iterum Romæ tecum cræbro versatus, studio tui propter insignes virtutes tuas, ac peculiarem in me humanitatem adeo me inflammatum sensi, ut fausta omnia tibi ominarer, & quodam grati animi impetu cujuslibet moræ impatiens honores maturius ac soleant, tibi obtingere exoptarem. Dein quum Summi Pontificis Legatus Ecclesiam istam tibi creditam invisurus Vindobona Utinum venisses, hospitio exceptus Johannis Hieronymi Archiepiscopi Grandonici, cujus repentina mors uberes nobis lacrimas expressit; rursus autem quum absoluta legatione amicum Præfulem reviseres, auctaque ab eo Palatii Bibliotheca fruereris, unus eram e plurimis civibus,

bus, qui tuo aspectu jucundissimo; ac suavi eloquentia pascebantur. Ut vero dignitatis immemor tunc me complexus fueris, satis celebrare nequeo: Non imprudenter igitur, sed jure quodam meo tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, qualemque hoc grati animi, & summæ observantiæ argumentum offero: & Deum Optimum Maximum supplex oro atque obsecro, ut quamdiutissime vivas gregis tui felicissimi utilitatibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decori, atque Italicarum litterarum incremento.

Lettera dell'Emmo Cardinal Sarampi  
a Sig: Prezioso Conte Francesco Florio  
in ringraziamento della Dedicà del presente.  
Libro.

Corneto 12. Maggio 1789.

Sig: Conte mio stimatissimo

Ricevi nei giorni passati da Monte Fiascone i due exemplari trasmessimi  
dal Rmo P. Ab: Mingarelli, della nuova di lei produzione intorno  
a S. Gregorio Nobiletano e agli interpreti d'origine. Ho subito letto  
con estuale attenzione che piaceva le due Dissertationi: e ambedue  
i punti sono così ben trattati, che pagonmi finalmente soli da  
ogni ulterior disputa. Tutti i Logici e gli Historici Ecclesiastici do-  
vranno protestarne grazie. Io poi ne le debbo le più distinte  
e peculiari per l'onore che ha voluto farmi con incrinarmene.  
Sono 40 anni in circa, dacché truovomi in felice possesso della di lei  
amorevolezza: e la nuova dimostrazione ch'ella ora me ne dà,  
accresce il colmo alla mia riconoscenza.

Dalle Gazzette di questa settimana ho sentito con mio sommo dispiace-  
re la perdita che vien ella di fare di un amatissimo fratello, la  
patria sua di un illustre cittadino, e le belle Letture d'Italia di  
un speciale ornamento. Mi dispiace di doverne ora fare un  
ufficio di condoglianze: ma son perduto però ch'ella avrà tem-  
perato l'umano suo dolore sull' ammonizione che ne abbiamo  
da S. Paolo, affinché non ci contristiamo de domini tribus, sicut  
ceteri qui spem non habent. Sul riflesso della religiosa e exem-  
plar vita del degnissimo fratello puo' ella sperare che la miseri-  
cordia di Dio l'abbia raccolto nella santa sua pace. Ho nondime-  
no celebrati immantinenti per lui i sacri misteri, e non cego tutta-  
via di suffragare benché indennamente l'anima sua.

Pregherà a voler mettere a parte di tali miei uffici anche l'egregio  
suo nipote. E senza più me le protesto.

Di Lei Sig: Conte mio stimatissimo


All' Illmo Sig:


Sig: Conte Francesco Florio  
Prop: della Chied Metropolitana

Bzdine.

Allez<sup>mo</sup> per servir  
Sig: Card. Sarampi.







DE AUCTORE  
LIBRI  
*DE FIDE*  
*CONTRA ARIANOS.*

DE AUGOTORIE  
LIBRI  
DE FIDE  
CONTRA ARIANOS



## SYNOPSIS.

I. Auctorem libri de Fide Latinum esse, atque in Sancti Hilarii Pictaviensis & Tertulliani libris versatum. II. De aliis latini hominis characteribus, qui nec ulli ex Orientalibus, nec Sancto Gregorio Nazianzeno convenienter. Rufinus Aquilejensis VIII. dumtaxat hujus Orationum interpres. III. Auctor ignotus semel atque iterum libellum suum edidit; ac perperam quærendus est liber ab hoc plane diversus, quem olim scripsiterit contra Arianos. IV. Refelluntur viri doctissimi, qui scriptum afferunt a Sancto Phœbadio Aginnensi. V. De S. Gregorio Bætico. Huic librum tribuendum esse vero proxime accedit. Quædam obiter de breviori altero libello de Fide.

**N**ondum, meo quidem iudicio, satis compertum est, cui tribuendus sit antiquus *De Fide* liber, alias inscriptus, *De Filii Divinitate*, & consubstantialitate contra Arianos. Is jamdiu prodiit cum nonnullis S. Gregorii Nazianzeni orationibus, quas Rufinus latine reddidit. Græciæ eruptum Sancto Ambroſio quidam adscripſerunt, Nourrio refragante. Suo etiam Vigilio Tapsensi Chiffletius, Gregorio Bætico Quesnellus, aliquique plurimi, teste Coutantio: Tandem nostra hac atate Sancto Phœbadio Aginnensi restituendum censuerunt Benedictini e Congregatione S. Mauri in Historia litteraria Galliarum: quibus nuper calculum suum adjecit Andreas Gallandius Congregationis Oratorii Veneti Presbyter in Prolegomenis ad Tom. 5. Bibliothecæ Veterum Patrum cap. XV. Post Viros doctissimos qui spartam hanc ornandam suscepserunt, quasdam mihi liceat observationes in medium afferre, quæ fin minus controversiam, plures saltem

nodos, quibus hactenus obvoluta fuit, solvere ac dirimere videntur.

I. Illud in primis querendum puto, Græcum ne an Latinum liber *de Fide* auctorem præferat? Ac Latinum esse post Federicum Morellum ( uno excepto Justo Fontanino, cui adstipulantur Fratres Ballerini ) visum est recentioribus; nec immerito quidem, quanquam leviora attulerint argumenta. Nam quod observant, testimonia Sacrarum Litterarum, quæ scriptor opponit Arianis, ex Itala versione proferri, parum movet; cum antiqui Græcorum Scriptorum interpres illi potius hærere versioni, quæ apud Occidentis Ecclesiás recepta erat, quam Græcum textum κατὰ πόδα sectari consueverint. Quem morem nedum in Scripturæ locis, sed in cæteris quoque latinis monumentis, quæ Eusebius græce refert, accurate servandum sibi proposuit Rufinus. Cum enim lib. II. H. E. cap. II. incidisset in quandam sententiam Tertulliani ab Episcopo Cæsariensi græce redditam, non græcum Interpretem sibi ducem selegit, sed ex Apologetico, ut omnes norunt, latine scripto ipsamet Afri Doctoris verba descripsit. Idem præterea Rufinus, quemadmodum eximio commentario docuit Alexander Symmachus Mazochius (1), Adriani Augusti ad Minucium Fundanum Epistolam ex ipso fonte hausit, nimirum ex *Apologia I. Sancti Justini Martyris*, ad cuius calcem latine olim legebatur. Neque verò, uti contendit Quesnellus (2), nostra lingua librum hunc fuisse exaratum manifestissime produnt verba illa „Ratio quædam, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur“, aut quæ paulo post habentur „quod Graci ὄμορτιον appellant“. Is enim, quem mox laudavimus, Presbyter Aquilejensis non raro induit personam auctoris primigenii magis quam interpretis. Itaque Commentariorum in Epistolam ad Romanos lib. III. num. V. Originem, quasi latinus homo esset, ita scribentem exhibet. „Moris est (3) apud Græcos ἀρχα πραπονι, quæ apud nos pos-

funt

(1) Vid. Append. II. ad Tom. I. Bibl. Vet. Patr. pag. 728. & Rufin. H. E. lib. IV. Cap. IX.

(2) *Dissert. XIV. de Fidei libellis Cap. VII.*

(3) *Orig. Op. Tom. IV. pag. 312. edit. Benedict. Ibid. pag. 323. 345. 348.*

sunt articuli nominari,. Et lib. IV. num. I., Græcus sermo ~~av-~~  
~~pias~~ appellat impietatem, hoc est quod sine lege committitur ,.  
Id verò non peculiari Rufini licentia tribuendum est, sed  
consuetudini omnium ferme illius ætatis interpretum . Ori-  
genes Homil. VIII. in Jerem. Hieronymo interprete,, Ve-  
niam, (1) inquit, ad orbem terrarum, qui græce οἰκουένη nun-  
cupatur, idest inhabitatus,. Et homilia II. in Ezechielem num.  
3. ex eadem Hieronymiana versione hæc habet, quæ Scripto-  
ri Græco minus convenient. „Prophetæ, qui prophetant de cor-  
de suo, & ambulant post spiritum, non tam Dei, quam suum,  
omnino quod Græce dicitur τὸ ναθόλε non vident „. Paria le-  
gere est in epistola S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium a-  
pud Marium Mercatorem, atque, ut aliis exemplis parcam,  
in Hesychii Hierosolymitani Commentariis in Leviticum, de  
quibus differens Guillelmus Cave in Historia litteraria Sec.  
VII. quædam scitu digna in hanc rem animadvertisit. Videbis  
Pearsonii Vindicias Ignatianas Parte I. Cap. VII., & obser-  
vationes in Quesnelli dissert. XIV. a doctissimis Balleriniis  
elucubratas Tom. III. operum Sancti Leonis; necnon Petri  
Danielis Huetii (2) in auctore librorum in Jobum inter O-  
rigenis opera: quem latinum esse censuit Erasmus levibus hu-  
jusmodi ductus argumentis.

Nihilo tamen secius ambigi nequit, quin liber de Fide  
latinum parentem nactus sit. Id evincunt loca quædam au-  
ctoris nostri a nemine, quod sciam, hactenus expensa. Præ-  
cipuus ille est, ubi Arianum refellit prætexentem τὸ ὄμοιον  
expungi debere, quod nullibi in Divinis libris reperiatur.  
„Quamquam, inquit cap. III., & aliud quod scriptum non est,  
profitearis, idest, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Quid ad  
hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim  
unius substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non  
est, timere identidem debes Deum ex Deo, lumen ex lumine  
profiteri. Sed ego probo Deum de Deo, lumen de lumine, &  
*unius*

necnon præfat. in libr. de Principiis num. 8. Tom. I. pag. 49. Hom. I.  
in Psalm. 36. Tom. II. pag. 655.

(1) Origenis Oper. Tom. III. pag 170. laud. Edit.

(2) V. Origenian. l. III. Append. num. 11. pag. mihi 324.

unius substantiae vocabulum in Divinis Scripturis contineri . ,  
 Et quibusdam interjectis „ Ergo , subdit , quia lumen Pater , &  
 lumen Filius , recte lumen de lumine credimus . Tu autem non  
 lumen de lumine , sed lumen ex lumine ita afferis , quasi a Pa-  
 tre , qui verum lumen est , aliud lumen sit factum , quod de ip-  
 sa Patris substantia non sit ; sed sicut aliud quodlibet lumen ,  
 quamquam a Deo sit factum , longe tamen sit ab eo , qui fece-  
 rit : & ideo lumen ex lumine , non de lumine dicas „ . Acuta  
 hæc disputatio nonnisi a nostræ lingua homine moveri potuit .  
 Cum enim Patres Concilii Nicæni Jesum Christum Θεὸν ἐκ  
 Θεῶν , φῶς ἐκ φωτὸς pronunciaverint , Ariani Orientales , qui  
 ad minuendam impietatis criminacionem in suis illis , quæ fre-  
 quenter cudebant Fidei Symbolis allata Nicæni Symboli verba  
 retinenda duxerunt , nunquam alterius cujuspiam apicis usu ,  
 quod voculam ἐκ attinet , ansam dedisse leguntur Catholicæ  
 parti Arianos accusandi , quod Patrem dumtaxat uti verum  
 lumen agnoscere nt , Filium autem lumen quidem faterentur ,  
 sed natura diversum ab eo , a quo conditus fuerit . Constan-  
 ter enim repetunt Θεὸν ἐκ Θεῶν , φῶς ἐκ φωτὸς . At latinus scrip-  
 tor hæc objiciens animo volvebat Symbola Arianæ factio-  
 nis , seu latine reddita , seu primum ab Occidentalibus Epi-  
 scopis Arianis latine digesta ; quæ spectatis omnibus circum-  
 stantiis sin minus impium , saltem ambiguum sensum offerre  
 videbantur , quod particulam ex , non de adhibere consuef-  
 rent . Illa sane , quæ Philippopoli in Thracia edita fuit profes-  
 sio perfidiæ , non Fidei (1) Jesum Christum agnoscit Deum  
 ex Deo , lumen ex lumine ; idque repetunt Orientales in  
 Concilio Sirmiensi . Nota hæc , quamquam aliæ deessent ,  
 plane evincit librum adscribi non posse auctori Græco , & mul-  
 to minus Gregorio Nazianzeno , qui cum alibi , tum in Hym-  
 no præsertim vespertino (2) Christum celebrat φῶς ἐκ φωτὸς  
 ἀναγκή , lumen ex lumine æterno , ut Jacobus Tollius reddit ;  
 seu potius lumen ex lumine , quod principio caret . Pater enim ,  
 ut idem Sanctus Doctor alibi loquitur (3) , Pater est , καὶ ἀναγκή ,

prin-

(1) Apud S. Hilarium lib. de Synodis num. 34. &amp; 38. Tom. II. pag. 482. 483.

(2) Carm. XIV. Bibl. Vet. Pat. Tom. VI. pag. 446.

(3) Orat. XXXIX. Tom. I. pag. 630. Paris. 1609.

principii expers, cum ex alio non sit; Filius vero Filius est, <sup>xxt</sup>  
 ἐν ἀναρχος, sed non expers principii: Quo sensu Chrysostomus  
 etiam Hom. II. in Matthæum num. 21. ait Christum Filium es-  
 se τὸν ἀνάρχον Θεόν. Quamquam si temporis initium spectemus,  
 Filius quoque ἀναρχος recte dicitur; nec enim is temporis subest,  
 per quem Deus Pater fecit & sacula. Sed hæc obiter.

Ad rem nostram quod attinet, auctor libelli *de Fide Ari-  
 anis* vitio vertens, quod Deum *ex Deo*, lumen *ex lumine*  
 dicent, Hilarium Pictaviensem sibi ad imitandum proponit,  
 qui Operis Historici fragmento II. num. 29. hæc habet de  
 formula Sirmiensi. „At vero hæc perfidia, non fides, Deum  
*ex Deo dicens....virus suum sub modestia religiosæ moderatio-*  
*nis occultat dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine; ut per ca-*  
*casionem confessionis istius, ex Deo ac lumine, Deus ac lumen*  
*factus a Deo, non genitus de Deo, idest non de substantia p-*  
*terna aeternitatis extiterit.,, Durior sane videri posset centu-*  
*ra istiusmodi, nisi cujusque ætatis hereticorum calliditas per-*  
*specta esset, qua simplicioribus illudere solent per verborum*  
*ambages. Sed quidquid sit de sensu Hilarianæ animadversionis,*  
*ex ea procul dubio scriptor ignotus occasionem arripuit ex-*  
*probrandi Ariani, quod Filium, non Deum *de Deo*, lumen*  
*de lumine, sed *ex Deo*, *ex lumine* profiteri malent, ut po-*  
*te eorundem sententia a Deo factum, nec ejusdem substantiæ*  
*cum Patre, vero lumine, ac Deo vero. Libris autem Hilarii*  
*diurna nocturnaque manu versandis scriptorem, de quo dis-*  
*serimus, se dedidisse, nec sententias modo, sed verba mutu-*  
*ari, quædam utriusque loca simul collata uberus confirmant.*  
*Orientales Episcopi, qui Sirmium convenerant, in Symbo-*  
*lo a se edito Filium Dei primogenitum fatentur. Sed occul-*  
*tum professionis hujus venenum Hilarius detegens loco cita-*  
*to observat, ideo Primogenitum ab illis appellari „ut ordinem*  
*quemdam ab eis ortu creantis mundi rebus assignent.,, Ubi ne-*  
*que creantis, quod sensu caret, neque creatis, ut legendum*  
*monet Coutantius, sed creandis Hilarium scripsisse discimus*  
*ex nostro hoc libro de Fide cap. 1., ubi Anonymus arguit*  
*Arianos, quod Filium Primogenitum affirment, quasi in or-*  
*dine factorum, atque *ex eo seriem creandis mundi rebus assignent.**

Cum

Cum vero tunc temporis omnia Ariani molirentur freti potentia Constantii Imperatoris, quem sibi, ut ait Sulpitius Severus, pravis adulatioibus devinxerant, iisdem fere verbis uterque describit maximam illorum temporum acerbitudinem. Hilarius namque lib. I. ad Constantium num. 7. inquit. „Cum ipsi, qui tunc Ariani damnati sunt, rem exagitent, turbent omnia, omniaque ex potestate & ambitione corrumpant“. Noster vero cap. 4. „Cum idem ipse sis, qui saepe damnatus, etiam nunc vi, ambitione, & potentia exagitans, turbas omnia“. Latinum haec aperte produnt scriptorem, qui ex illustri Nicæna Fidei vindice Hilario profecit.

Alter, qui perinde fugit viros doctos, Auctoris anonymi locus, non ex Hilario, ut solet, sed ex Tertulliano sumptus est. Arianorum versutiam confert cap. III. cum hæreticis, qui carnis resurrectionem licet negarent, eam tamen se profiteri simulabant. „Ad decipiendas, inquit, animas simplicium vœ dicunt his, qui in carne non resurgent. Sed si dissentias eos cur hoc dixerint, dicent tibi: Va utique illi erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, ut de sepulcro criminum per baptismum in eadem resurgat. Solius enim animæ per lavacrum vitalis gratiam resurrectionem in carne defendunt; nam & ipsius carnis salutem excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt“. Non alios sane innuit, quam Gnosticos, de quibus consuli potest Irenæus lib. II. contra hæreses cap. XXXI. num. 2. Sed noster, ut dixi, Tertullianum legit, qui in libro de Resurrectione carnis cap. XIX. habet. „Natti enim quidam solemnissimam eloquii prophetici formam, allegorici, & figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annunciatam in imaginariam significationem detorquent, asseverantes ipsam etiam mortem spiritualiter intelligendam. Non enim banc esse in vero, quæ sit in medio, discidium carnis & animæ, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo, non minus in errore jacuerit, quam in sepulcro: Itaque & resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus & revivificatus Deo, ignorantiae morte discussa, velut de sepulcro ve-

teris

teris hominis eruperit... exinde ergo resurrectionem fide consquentos, quum eum in baptismate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis saepe nostros decipere consuerunt, quasi & ipsi resurrectionem carnis admittant. Vx, inquiunt, his qui non in hac carne resurrexerint: ne statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacite autem secundum conscientiam suam hoc sentiunt: Va qui non, dum in carne est, cognoverit arcana heretica: Hoc est enim apud illos resurrectio,, nimirum ut ex Irenæo loc. cit. discimus, agnitus ejus, qua ab eis dicitur, veritatis. Atque ad hunc sensum, invito licet Massuetio (1), trahi possunt Menandri Samaritani dicta apud eundem Tertullianum,, in hoc scilicet se a superna & arcana potestate legatum, ut immortales & incorruptibles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint,,. Nec enim Menander aliisque passim, qui falsi nominis scientiam venditabant, de morte aut discidio carnis & animæ, sed de morte erroris ac ignorantiae, ac de sepulcro criminis loquebantur; atque adeo mysticam etiam resurrectionem iis spondebant, qui nefariis eorum mysteriis, ac prophano baptismate (2) sese initiari paterentur.

II. Quædam præterea extant in libro de Fide conspicuis notis insignita, quæ conciliari nequeunt cum doctrina Orientalium Episcoporum, atque illius præsertim, qui Theologi nomen sibi promeruit. Anonymus enim ut silentium imponat Arianis contendentibus rejiciendam esse unius substantia vocem, utpote peregrinam, nec in Divinis Voluminibus usu receptam, fidenter iisdem objicit (3) loca Hieremias: *Quis stabit in substantia Domini? & Si stetissent in substantia mea;* tum illud ex libro Sapientiæ: *Substantia mea, dulcedo mea est.* His porro ex Veteri, aliisve testimoniis ex Novo Fœdere collectis hæc infert.,, *Cum ergo unitatem substantiæ in Patre & Filio non solum Prophetica, sed etiam Euangelica auctoritate cognoscas, quomodo dicis in Divinis Scripturis ὄμοστιον non inveniri?,,* Atqui vocem hanc, quam Ariani diris devovrant,

(1) In Sanct. Irenæum Dissert. I. Art. III. num. 107. pag. LVIII.

(2) V. Sanctum Irenæum contra heres. lib. I. cap. XI. num. 1. & seq.

(3) Cap. III. & IV. Bibl. Vet. PP. Tom. V. pag. 259. &c.

rant, nemo Græcus reperire potuit in Hieremia aut Salomonis Sapientia; nec enim apud illos ῥτία legitur, sed ὑπόστασις. Perperam igitur Gregorio Nazianzeno tribuitur liber, cuius parens manifestissime latinum se prodit, ῥτίαν cum ὑπόστασι confundens. Maximum autem inter hæc vocabula discrimen statuere placuit Græcis Patribus, qui unam quidem in Deo ῥτίᾳ, tres vero ὑπόστασις vel aperte profitebantur, vel fide incolumi prædicari concedebant non inviti. Quid præ cæteris hac de controversia senserit Nazianzenus, operis suscep-  
tī ratio poscit ut diligenter explicem. Ægre ferens S. Do-  
ctor dissidium quod in Antiochena Ecclesia emerserat, ubi  
alii unam (in tribus personis), alii tres in Deo hypostases  
admitti ac dici debere contendebant, hæc habet Oratione  
XXXII. (1) „Desinant qui de his contendunt, sese invicem la-  
cessere, perinde ac Religio nostra nominibus, non rebus conti-  
netur. Quid enim dicitis qui tres hypostases affertis? An hoc  
eo dicitis, quod tres essentias (ῥτίας) existimetis? Non est a-  
pud me dubium, quin adversus eos, qui ita existimant, ingen-  
tem clamorem excitaturi sitis: Unam enim & eandem horum  
trium essentiam profitemini. Quid vos, qui personas dicitis?  
Num unum veluti compostum animo fingitis, ac tres veluti fa-  
cies, aut humanam omnino formam habens? Absit, vos quoque  
in clamabitis.... Quid igitur, ut interrogare pergam, vobis hy-  
postases volunt, aut vobis persona? Nimirum tria esse, qua di-  
vidantur, non naturis, sed proprietatibus. Optime. An fieri po-  
test, ut magis inter se concordent, atque idem dicant, tametsi  
alioqui syllabis discrepant? „Eadem brevius repetit Sanctus Do-  
ctor Oratione XXXIX. „Deum (2) cum dico, uno eodemque  
triplici lumine perstringamini: Triplici quidem quantum ad pro-  
prietates, sive hypostases, si cui hoc verbum magis arridet;  
sive personas: Uno autem quantum ad essentiaz, hoc est divini-  
tatis rationem„. Quamquam vero pacis studio cuique indul-  
geret, ut una vel altera voce uteretur; suam tamen ac cæ-  
terorum Orientalis Ecclesiaz Patrum consuetudinem servandam  
esse, atque hypostasim ab essentia differre tradit Oratione I.,  
quæ

(1) Oper. Tom. I. pag. 520. Paris. 1609. (2) Ibid. pag. 630.

quæ & Apologetica inscribitur, neconon Oratione XX. in laudem magni Athanasii. In illa enim (1) declarat necessarium esse unum Deum retinere, & tres hypostases confiteri, cum sua quamque proprietate. In altera vero pie a Græcis dici unam esse in Deo στίχων, tres ὑπόστασις: quoniam vox illa naturam, quæ una est; hæc vero Patris & Filii & Spiritus Sancti proprietates ostendat. Hæc Nazianzenus. At si ponamus, ut quibusdam videtur, librum de Fide ex ejus calamo produisse, nonne secum aperte pugnat unam adstruens hypostasim, eamque cum essentia, ac natura confundens? Sed quod Gregorium minime decet, latino scriptori illius ævi apprime convenit; constanter enim ad id usque temporis, quo de una vel tribus hypostasisib⁹ quæstio excitata est, idem latinis erat substantia, quod Græcis hypostasis, ut, præter Hieremias ac libri Sapientiæ ab auctore allata testimonia, evincunt alia Scripturæ loca, quæ in opere ejusdem argumenti (2) Arianis opponit Sanctus Phœbadius ex Psalmis deprompta: Quibus addi possunt Apostoli loca, II. Corinth. XI. 17., Hebr. I. 3. III. 14. ubi latinus interpres ὑπόστασιν explicaturus vocabulo substantia usus est. Quinimo S. Hieronymus parti illi Antiochenæ addictus, quæ tres hypostases in erroris suspicionem aducebat, in Epistola ad Damasum Pontificem (3) provocat ad sæcularium litterarum scholam, quæ nihil aliud hypostasim, nisi usum novit. Et quisquam, rogo, ( statim infert ) ore sacrilego tres SUBSTANTIAS prædicabit?... sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, una tenetur... Aut si rectum putatur tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mibi credite, venenum sub melle latet. Causam, cur Græcorum usus Latinos offenderet, clarius declarat S. Augustinus lib. V. de Trinit. num. X., Plerique nostri, inquit, qui hæc græco tractant eloquio, dicere consueverunt μικρούς στίχους, τρεῖς ὑπόστασις, quod est latine, unam essentiam, tres substantias. Sed quia

(1) Ibid. pag. 17. &amp; pag. 395.

(2) Lib. contr. Arianos num. VII. Bibl. Vet. Pat. Tom. V. pag. 251.

(3) Oper. Tom. I. Epist. XV. num. 4. pag. 39. Veron. ed.

nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligamus cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam; non audemus dicere unam essentiam, tres substantias, sed unam essentiam, tres autem personas, quemadmodum multi Latinii ista trattantes, & digni auctoritate dixerunt,. Hos inter Latinos Scriptores Hipponensis Doctor omni dubio procul innuit Hilarium, qui lib. IV. de Trinit. num. 12. & 13. referens exemplum blasphemiz eorum, qui creaturam esse Dei Filium dicebant, στια & hypostasim uno substantiae vocabulo exposuit. Immerito enim ( quod absque summi Viri injuria dictum velim ) Dionysius Petavius (1) adscribit Latinis quibusdam Patribus ἀπόστολοι, quod in eodem sermonis contextu græcas voces στια, & hypostaseos uno eodemque substantiae nomine reddiderint: nec enim Hilario, ut vellet Petavius, distinguendum erat inter utrumque vocabulum; quod Arius ejusque asseclæ eodem sensu usurpabant. Quare in libro de Synodis num. 12. ait. „ Dici autem essentia (στια) & natura, & genus, & substantia (ὑπόστασις) uniuscujusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco est dicta, quia semper est. Quæ idcirco etiam substantia est, quia res quæ est, necesse est subsistat in se: Quidquid autem subsistit, sine dubio in genere vel natura vel substantia maneat. Cum ergo essentiam dicimus significare naturam, vel genus, vel substantiam, intelligimus ejus rei, quæ in his omnibus semper esse (legendum, in se) subsistat,. Ejusmodi autem consuetudo Latinorum illius <sup>xvi</sup>, quo floruit Pictaviensis Antistes, orta videtur ex versione Symboli Nicæni (2), in qua Filius prædicatur unius substantiae cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον; contentiosus enim interpres vertere debuisset, unius essentiae, ut notum est. Sed merito id negligere Latinis licuit, cum ipsi Patres Nicæni, haud refragante Petavio (3), pro synonymis accipiunt hypostasim & usum, nempe substantiam & essentiam, anathemate in illos inflicto, qui dixerint Filium η̄ εξ έτερως ιποστάσιως η̄ στια, ex alia nimirum substantiae vel essentiae, ut latine red-

(1) Lib. IV. de Trin. Cap. IV. num. 16.

(2) V. S. Hilar. Opus Hist. Fragmento II. num. 27.

(3) De Trinit. lib. IV. cap. I. num. V.

redditum est in opere historico Fragmento II. num. 27. Nicæni igitur Concilii auctoritatem opponit Hieronymus in laudata ad Damasum epistola, ne tres hypostases reciperentur; idem enim erat ( Latinis saltem ) ac tres substantias adstruere . „ *Si jubetis, inquit (1), condatur nova post Nicenam Fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi.* „ Ex quibus omnibus duo colligimus . 1. Arium , ejusque gregales ὑπόστασις nomine naturam intellexisse; adeoque, ut diximus, Hilarium aliosque Latinos injuria a Petavio fugillari . 2. Latinos illius temporis *substantia* nomine ὑπόστασιν explicare consueuisse; ac Dei *essentiam*, quam Græci σύστασιν dicunt, *substans*, ut ait S. Augustinus citato lib. V. de Trinit. num. 9. *substantiam* perinde appellantes, cunctatos esse tres hypostases usurpare. Hanc idcirco occidentalium cautionem Basilius M. (2), & Gregorius Nazianzenus (3) lingua nostræ paupertati tribuunt; ac reapse licet idonea satis nomina Latini haberent, quibus *substans*, & *hypostasis* distinguerent, nimirum, ut sèpius dictum est, *essentiam* & *substantiam*; hoc tamen altero *substantia*-ocabulo, ac si primum deesset, frequentius utebantur ad significandum id, quod in Trinitate commune est, solemnem præsertim vocem ὄμοστιον non per *coessentialem*, sed per *consubstantialem* reddentes; ex quo consequitur, ut unam *essentiam*, tres substantias, quemadmodum Augustinus observat, dicere non auderent. Aliam inire viam Petavio placuit, ut latinam linguam, cui inopiam Græci objiciunt, vindicaret. Nonne enim, inquit, σύστασις recte *essentiam*, vel *substantiam*, ὑπόστασιν vero *subsistentiam* Latini reddiderunt? Sed quosnam, rogo, Latinos intelligit? Si de recentioribus loquitur interpretibus, id quidem lubens concederim. Si vero de veteribus sermo sit, nullum, quod sciam, exemplum peti potest ex iis scriptorum monumentis, quæ celeberrimæ de hypostasibus controversiæ extant, vel antea prodierunt. Primus omnium, aut ego fallor, Rufinus Aquilejensis, qui post seadas magni Athanasii œconomia contentiones scribebat, cum  
vide-

(1) Epist. XV. num. 4. Edit. Veron.

(2) Epist. alias 349. nunc 214.

(3) Orat. 21. pag. 393.

videret *substantia* nomen apud Latinos passim naturam & es-  
sentiā significare, subsistentiā vocabulum usurpare cœpit ad  
hypostasiā peculiariter exprimendam. Videſis Hist. Eccl. lib.  
X. cap. XXIX., Periarchā lib. 1. cap. 1. num. III. & cap. III.  
num. 1. Quemadmodum igitur Hilarius veteri more *essentiam*,  
*substantiam*, *naturam*, *genus* pro synonymis accepit; haud secus  
Hilarii, uti solet, vestigia premens auctor anonymous libelli de  
Fide cap. V. ait Patrem & Filium *unius esse substantia*, & pau-  
lo infra *unius essentia*; & cap. VIII. Divinis Personis unita-  
tem *generis* Hilariano vocabulo tribuit. Quæ omnia, ni fal-  
lor, impediunt, ne Gregorio Nazianzeno, aut alteri Græciæ  
Patri liber de Fide adscribi possit.

Non me latet Justum Fontaninum Hist. Litter. Aquile-  
jen. lib. II. cap. VIII., & Ballerinos Fratres in suis ad Dis-  
sertat. XIV. Quesnelli observationibus, ubi librum hunc Na-  
zianzeno restituere conantur, potissimum inniti codice illo,  
ex quo prodiit editio Argentoratensis anno MDVIII., quæ  
non octo, sed omnino decem complectitur orationes Grego-  
rii nomine insignitas, interprete Rufino; in quarum censu  
extat Oratio, sive liber de Fide. Ut enim advertunt erudi-  
tissimi viri, Aquilejensis Presbyter Hist. Eccl. lib. XI. cap.  
IX. ubi laudes persequitur Magni Basili, & Gregorii Nazi-  
anzeni, *se denas ferme singulorum oratiunculas in latinum trans-  
fudisse testatur*. Quare cum octo dumtaxat, seu novem ha-  
beantur Basili Orationes ex Rufini versione; hic vero *denas  
ferme* utriusque se vertisse referat, consequi arbitrantur, *decem*  
omnino, nec pauciores esse, quæ Gregorio auctore, & Ru-  
fino interprete gloriantur. Sed levior est difficultas hæc, quam  
ut pluribus in ea diluenda immorari necesse sit. Sua quidem,  
eaque gravioris momenti vis ineſt codicibus præsertim anti-  
quis. Sed externi hujusmodi testes omnem amittunt fidem,  
quoties aperte repugnant intimi operis characteres. Quis ve-  
ro in animum inducat, Nazianzenum, qui cum plerisque O-  
rientalibus *tres hypostases* profitebatur, in hac oratione iis ad-  
versari? An, amabo, non dicam Vir Sapientissimus, a quo  
Sacras Litteras Hieronymus didicerat, sed quisquam Græculus,  
ut ὄμοσιον in iis inveniri ostendat, confugere possit ad loca  
Hie-

Hieremīz , aut Sapientīz , quam contra Græcorum confuetudinem Salomoni adscribit , confugere , inquam , possit ad ea loca , ubi στιας vocabulum non appareat ? Id Anonymo , id etiam Phœbadio licuit , latinis hominibus , qui nihil aliud hypostasim , quam usiā norunt . Rufinum vero quod attinet , quemadmodum historicum agens denas ferme Basiliī orationes se latio donasse affirmat , licet non plures quam octo miserit ad Apronianum (1) ; idem omnino de numero Orationum Nazianzeni , quas latinas fecit , judicandum est . Nec enim insolens erat veteribus , nec etiam a nostris moribus abhorret rotundum ac paullo majorem numerum usurpare , præsertim vocibus adjectis , quales sunt ferme , prope , hisque similes : Ut præterea Rufinum interpretatum esse *Orationes iunculas* , sive tractatus ad populum habitos ; hunc autem librum ab Anonymo scriptum fuisse eo consilio , ut amici cuiusdam subiret judicium , quemadmodum ex iis , quæ mox dicenda sunt , planum fiet .

III. Nec enim leviter attingendam esse censeo peculiarem hujus libri notam , quam cum doctissimi Viri (2) neglexerint , inanibus conjecturis indulserunt . Certum est , auctorem , quisquis ille sit , non duos , sed unum semel atque iterum de Fide librum edidisse . Ac prima quidem editio extat in antiquioribus collectionibus Operum Sancti Ambrosii Mediolanensis ; alteram vero exhibent Nourrius in Appendice , Federicus Morellus inter Orationes Sancti Gregorii Nazianzeni , Ven. Dei Servus , idemque amplissimus S. R. E. Cardinalis Joseph Thomasius in Theologicis Institutionibus , demum Andreas Galland in novissima Patrum Bibliotheca post librum de eodem argumento Sancti Phœbadii Aginnensis . Hoc unum tamen discrimen visitur inter primam , atque alteram editionem , quod hæc ab auctore , qui libellum suum jam prius conscriperat , proœmio quodam apologetico , ac brevi epilogo aucta sit . Quæ strictim proposui , singillatim demonstrare munus partesque meæ erunt . Præmisso itaque Symbolo Nicæno , cuius doctrinam aggreditur defendere , auctor refert

(1) V. S. Basiliī Opera Tom. II: pag. 713. Garnier.

(2) Quesnell. Benedictinos , Ballerinos , Gallandium loc. c.

refert se jampridem composuisse librum adversus Arianos; quem amicus, cui legendum dederat, non solum sibi descripsit, verum etiam se non invito, monente vero ne proderet auctoris nomen, subinde communicavit cum Viris doctis, quibus probatus, aliis curantibus, in apertam demum lucem prodierat. Sed cum in eo scripto nonnulla quis deprehendere sibi visus esset, quæ secus accipi possent, quam ab auctore dicta fuerant, sibi consulens *Anonymous* operæ pretium existimavit librum recudere; ut (1) nimirum simplicitatem sensus sui ostenderet, & scrupulum legentibus amputaret.

Hisce præhabitibus ordine recenset quæ censori videbantur Sabellianæ hæresi favere. „Hoc est, inquit noster, quod adjunt posse reprehendi, quod ubi Verbum Dei ex persona Filii posuimus, tale hoc Verbum intelligere putemus, quale grammatici tradunt, spiritu oris aerem offensum, intelligibilem auditu. „Sanctus Phœbadius, ut obiter hoc moneam, nullam omnino in suo contra Arianos libro criminationi huic ansam præbet, quippe qui (2) diserte ait *Dei sermonem*, seu Verbum Patris non esse sonum vocis, sed imaginem veram & expressam substantiæ ejus. Hunc autem locum, ut se purgaret, attulisset Phœbadius, si liber ille, de quo differimus, ipsius Phœbadii esset, ut Benedictini Galliæ litterariæ Scriptores arbitrantur. Nihil hujusmodi reponit *Anonymous*, sed objectam impietatem ut repellat „Nemo, subdit, verbo tenuis nominat quem vere esse in persona sua scepis profitetur. Nam quomodo aut verum Filium, aut verum Patrem confessi sumus, si non vere proprietatem Personarum tam Patris, quam Filii servavimus? „Quis vero, atque ubi hæc dixerit, haud multo cum studio ac labore querendum est. In hoc enim, quem secundis curis expolitum in lucem emittit, libro dei Fidei (3) plura occurunt testimonia de personarum distinctione: se vero de subsistentibus, non fictitiis personis locutum inde confirmat, quod verum Filium, & verum Patrem in opere jampridem edito palam agnoverit. Ac merito quidem ad librum suum provocat fastidio-

(1) V. Præfat. Tom. V. Bibl. Vet. PP. pag. 257.

(2) Cap. XX. Tom. V. Bibl. Vet. PP. pag. 255.

(3) V. Bibl. laudatam Tom. V. pag. 258, 260, 261, &c.

diosum censorem ; nam Cap. 2. hæc de Filio docuerat.  
 „ Si natus est , unius substantia est ; si factus est , verus Filius  
 non est ; & si verus Filius non est , nec verus Deus est .,, Idem  
 Cap. III. de Patre & Filio „ Verus est Filius de vero Patre  
 natus „ & sub finem „ ut de eo ipso quod Deus est , inde sit Fi-  
 lius , & verus sit Pater in Filio , & ( adde verus ) Filius in  
 Patre .,,

Sed censoris aures præ cæteris offenderant propositiones nonnullæ , quæ ubi legantur , absque ullo negotio librum tenemus adversus Arianos scriptum , cuius vindicias auctor suscepit . „ Quia , inquit ( 1 ), unius Dei vocabulum diximus , personas negasse putamur . Et hinc ( forte , hoc ) verisimile est quod posuimus : Nos Patrem & Filium ita nominamus , ut unum Deum in his personis & nominibus assignemus . Porro , iterum , Pater & Filius etsi duo nomina appellantur , ratione tamen & substantia unum sunt . Et : Cum Patrem & Filium statuo , unitatem adsigno generis „ Atqui propositiones allatæ , quas frustra queras apud Phœbadium , totidem fere verbis singulæ extant apud eumdem Anonymum cap. VIII . „ Nos autem , inquit , Patrem & Filium ita nominamus , ut unum Deum in his Personis , & nominibus consignemus . 2. Porro Pater ac Filius , etsi duæ Personæ creduntur , ratione tamen , & substantia unus sunt .,, Rectius in Morelli editione unum sunt . 3. Cum autem ego Patrem & Filium statuo , unitatem generis adsigno .,,

Luce meridiana clarius est hunc ipsum , non aliud esse libellum , quem ignotus auctor jampridem vulgaverat contra Arianos . Tres vero propositiones , quarum obtentu in Sabellianismi suspicionem incidit , trahere pergit ad rectum Ecclesiæ Catholicæ sensum allato integro contextu : quod plenumque optimum est defensionis genus . „ Hæc omnia ( ibidem inquit ) intelligi posse assimilata sunt , quasi ista vocabula inter Patrem & Filium ita posita sint , ut est nomen & cognomen , unius tamen personæ ; cum ex superioribus & inferioribus dictis potuerit hæc suspicio non admitti . Qui enim Filium Dei non aliunde natum dixerim quam proprie de Patre , totum

de toto , integrum de integro , perfectum de perfecto , consummatamque virtutem ; quomodo potui ipsum Patrem ipsum sibi Filium ponere , & hoc modo unam personam duobus nominibus appellare ? , Quæ in superioribus dixerat , hæc sunt : (1) „ Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse , quem non aliunde quam de paterno pectore , & , ut ita dicam , de utero cordis Dei credimus natum . , Alia , quæ innuit in inferioribus posita , ita sonant : (2) „ Tantus est Filius , quantus videbitur Pater , totus de toto , integer de integro , perfectus de perfecto , consummataque virtute . „

Demum ad Libyci erroris maculam eluendam hæc addit in Præfatione apologetica : „ Quippe cum & hanc settam , idest Sabellianam in eodem libello damnaverim ; & ad personarum distinctionem secundum vocabulum posuerim . Nam & nemo pro una persona potest unum sunt dicere , vel unitatem generis nisi personis assignare . „ Equos judices , uti solet , remittit anonymous ad libellum suum de Fide ; in quo disertis verbis (3) damnat impietatem Sabellii , qui ipsum Patrem ipsum sibi Filium prædicare ausus fuit . Ibidem etiam , quod jam diximus , scriptum repertas : „ Pater & Filius , et si duo nomina appellantur ( vel ut accuratius in editione altera : et si duas persona creduntur ) , ratione tamen & substantia unum sunt . „ Nam uti prius vocabulum quod est , unum , omnimodam essentiæ , substantiæ , naturæ , generis unitatem adstruit ; sic per secundum , ut ait , vocabulum , sunt , ostenditur distinctio personarum . „ Unum enim ( Joann . cap . X . v . 30 . ) ad unitatem Divinitatis refert ; sumus autem personis adsignat . „ Hactenus diligenter , forte usque ad fastidium , Præfationem apologeticam expendimus , quam libro de Fide rursus edendo ignotus scriptor adjecit , ut quædam loca explanaret , quæ vix a Sabelliana heresi distare visa fuerant . Interim ex his liquet , librum de Fide , quem amico legendum dederat , quive ab aliis probatus , aliorum subiit censuram , non procul esse quærendum ; cum unus sit atque idem cum libro ejusdem

(1) Cap. II. pag. 258.

(2) Cap. VII. pag. 262.

(3) Cap. VII. pag. 262.

dem tituli, quem vindiciis ac brevi locupletatum epilogo nova luce donandum censuit.

IV. Juvat nunc ea rationum momenta discutere, quæ Benedictinorum judicio nullum ambigendi locum relinquunt, quominus altero hoc adversus Arianos libello ditandus sit Phœbadius Aginnensis. Auctor enim, inquit (1), sub ipsius operis initium affirmat se *jampridem contra Arianos libellum edidisse*: Quibus verbis innui putant viri clarissimi librum hujus tituli, qui S. Phœbadii nomen præfert, cuius Hieronymus meminit in præclaro Commentario de viris illustribus. Sed quemadmodum hactenus fusori calamo demonstratum est, libelli, de cuius parente quæritur, scriptor non exhibet nudum argumentum operis olim a se compositi; verum etiam plures refert in Præfatione sententias seu propositiones totidem verbis ex eo decerptas, quæ nisi extant in libro contra Arianos, qui fœtus est legitimus Episcopi Sanctissimi Aginnensis, perperam ex hoc capite liber de Fide illi adjudicatur. Atqui nulla prorsus ex iis sententiis, quas in Præfatione ignotus auctor ex libro describit a se jampridem edito, nulla, inquam, extat in genuino opere Sancti Phœbadii. Ruit igitur quod præcipuum est Benedictinorum argumentum. Cætera vero, quæ proferunt, nimur utrobique librum Sapientiæ laudari sub nomine Salomonis; Concilii Nicæni Symbolum appellari *Trattatum*; hæresim Sabellianam consulto ab auctore ejurari ad calumniam propellendam; Christi verba apud Johannem, *Ego & Pater unum sumus*, afferri ad unitatem naturæ, ac personarum distinctionem afferendam; eosdem refelli Nicænæ Fidei hostes, qui *substantiæ nomen oderant*; hæc omnia levioris sunt momenti, quam ut conjecturæ quidquam roboris adjiciant. Nihil enim, ut obiter nonnulla attingam, Latinis Patribus frequentius est, quam Sapientiæ librum inscribere Salomoni; quod passim obtinuit usque ad ætatem Hieronymi & Augustini. Atque hinc est, quod Rufinus locum Magni Basiliæ, ubi hæc habet: τρεῖς τὰς πάσας ἐγνωμέν πραγματείας τὰς σοφωτάτας Σολομῶντος, τὴν τε

(1) Histoire littéraire de la France T. I. Par. II. pag. 273. &c.

τῶν παροιμιῶν τέτων, καὶ τὴν τὰς ἐκκλησιαῖς, καὶ τὴν τῶν ἀσμάτων τῶν ἀσμάτων: quibus sane verbis tria dumtaxat agnoscit Sanctus Doctor Regis sapientissimi scripta; hæc, inquam, Rufinus in hunc modum accommodat latinis auribus, „Tres istos (1) principaliter novimus libros sapientissimi Salomonis. Proverbiorum, & Ecclesiastes, & quæ dicuntur Cantica Canticorum, Nicenum Symbolum nomine Tractatus innuitur non raro a scriptoribus saeculi IV., ut videre est in definitione Concilii Ariminensis, ac in ejusdem epistola ad Constantium: apud Sanctos Ambrosium & Zenonem, aliosque (2). Mirum igitur non est auctorem incertum libri de Fide perinde ac Phœbadium hac voce uti, quæ frequenter in ævi illius monumentis pro Symbolo accipitur, sive de Orthodoxæ Fidei tessera sermo habeatur, sive de Pseudo-Symbolis, quæ plura & varia secumque pugnantia in dies cudebantur ab Arianis. Hoc sensu noster ait cap. III. „Videtis omnia eos in Tractatu ipoforum, non Evangelica Fide, sed subdola malignitate ad seducendos simplices quosque posuisse. „Verbis demum illis unum sumus tum Arii, tum Sabellii impietatem profligari, præter Phœbadium, & auctorem libri de Fide, alii plures animadvertunt, præser-tim vero Zeno Veronensis mox laudatus lib. I. tract. VII. num. III., Hilarius de Trinitate lib. VII. num. 6. & 22., Faustinus Presbyter in libro cui similis titulus imponitur, num. XI., atque, ut alios præteream, Vetus auctor in Breviario Fidei (3) quem primus edidit Sirmondus. Quæcumque igitur communia habet incertus hic scriptor cum Episcopo Aginnensi, perinde communia illi sunt cum ceteris, qui catholicæ Ecclesie doctrinam ea tempestate adversus Arianos propugnabant.

Alter tamen ab altero in quibusdam ita differt, ut unus atque idem utriusque libri parens haberi nequeat. Phœbadius enim data opera refellendum suscipit exemplum blasphemiarum Sirmiensis, quæ vetat, ne (4) ulla vel ὄμοσίς, vel ὄμοιοσίς

men-

(1) Hom. VII. in Proverb. num. II. Tom. II. pag. 97. & 330. Garnier.

(2) V. Not. 26. Ballerini. ad S. Zenonis lib. I. tract. I. num. 3.

(3) V. Bibl. Vet. PP. Tom. VII. pag. 592. ed. Galland.

(4) V. S. Hilar. de Synodis num. II. pag. 464.

mentio fiat. Noster verò manus conserit cum Arianis mītioribus, qui (1) „*sublato ὀμοστῷ, hoc est unius substantiæ vocabulo, ὁμοιότον, id est similem factori suo (Filiū) profitentur.* „ Diversus idcirco est scopus, quem sibi proposuit auctor libri de Fide; nec ullo modo habendus est veluti commentarium apologeticum illius, quem Phœbadius blasphemiae Sirmiensis conditoribus objecit. Noster præterea, ut suo loco monui, Arianis, quibuscum disputat, vitio vertit, quod Filium lumen *ex lumine*, non *de lumine* dicere consuescerent. Nullam autem Sirmiensibus litem movet Phœbadius, quamquam (2) Dei Filium profiteantur, Deum *ex Deo*, lumen *ex lumine*. *Quinimmo sponte concedit hæc illos nobiscum teneare: agnoscimus, inquit, & cum veneratione suscipimus communis Fidei verba.* Maximum etiam discrimen appetit in definitione substantiæ. Nam si quæras a Phœbadio, cur nam ubi de Deo agitur, substantiæ nomen adhibeat, „*substantiam ait (3) dici id, quod semper ex sese est, hoc est, quod propria intra se virtute subsistit; quæ vis uni & soli Deo convenit,*„. Quibus verbis ita substantiæ ideam circumscribit, ut creatis rebus vix, imo ne vix quidem convenire videatur. Sed quemadmodum a doctissimo Petavio (4) observatum est, alludit Sanctus Doctor ad *υσίας* etymon; nempe usum dici quasi *ἀστας* aet. Hinc etiam Augustinus lib. VII. de Trinit. num. 5. *essentiam* (quo nomine *ἀστας* intelligi alibi tradit) ita proprie Deo tribuendam affirmat, *ut fortasse solum Deum dicere oporteat essentiam.* *Est enim, subdit, vere solus, quia incommutabilis est.* Sed anonymous aliam viam init, ut se expedit a cavillationibus Arianorum, qui nefas esse dictabant (5) *ut ipse Deus in substantia deputetur, quippe cum omnis substantia contraria recipiat, seu mutationi obnoxia sit.* Nec enim, ut huic oppositioni respondeat, acriter contendit substantiæ nomen Dei solius proprium esse, sed potius commune quodam-

mo-

(1) De Fide cap. II. pag. 258.

(2) Contra Arianos num. XIX. pag. 255. Tom. V. Bibl. noviss.

(3) Cap. VII. pag. 251.

(4) Theologic. Dogmatum De Trin. lib. IV. cap. III. num. 3. &amp; de Deo lib. I. cap. VI. num. XVI.

(5) De Fide cap. IV. pag. 260.

modo esse ultro fatetur creatis etiam rebus, quamquam Di-  
vina maiestas præcipuo jure id sibi vindicet; de hac enim  
scriptum est *Ego sum qui sum.* „Prohibes, inquit, in Deo  
substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res  
ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cœlestia, aliter  
terrena constare; sed & in ipsis cœlestibus rebus atque munda-  
nis magnam differentiam interesse? Aliter enim Angeli, aliter  
singulæ Virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt...  
Sic & in hoc mundo, ut diversa genera rerum, ita & di-  
versa corpora animantium, & omnibus sui cuiusque generis  
substantia.... Si ergo ea, quæ a Deo facta sunt, di-  
versas qualitates substantiarum suarum habent; tu putas in Deo  
talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum, quod fa-  
ctum est, ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est substantia Dei?  
Ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum, nulla concre-  
zione permixtum... Ergo ipsum quod est, hoc est substantia rei,  
quæ esse defenditur., Itaque Phœbadius substantiam soli Deo  
vindicat, anonymous vero ejus notionem extendit ad ea om-  
nia, quæ sunt; ita vero ut propter substantiaz diversitatem  
non eadem sed diversa omnino sint: Quod sane argumen-  
to est, non unum utrique libello, sed suum cuique proprium  
parentem fuisse.

Coronidis loco priusquam ulterius progrediar, obser-  
are placet, Phœbadium in scribendo ita rem moderari, ut quam-  
quam sibi prôpositum fuerit Arianorum impietatem refellere;  
simul tamen, neque id obiter, sed data opera profigandam  
fuscipliat judaicam Sabellii unionem, quam pene mortuam a  
Catholicis excitari passim criminabantur Nicænæ Fidei hostes.  
Duo afferam testimonia, eoque lubentius, quod medica ma-  
nu indigeant „Pater, inquit, (1) major me est. Merito ma-  
jor (reponit Phœbadius), quia non ipse descendit in Virginem;  
quod Sabellius noluit (lege voluit), apud quem Pater & Fi-  
lius ambo non sunt (lege unus sunt), hoc est, duorum nomi-  
num una persona; quum Patris vocem audierit per Isaiam: Ec-  
ce Filius meus, quem ego elegi, ponam spiritum meum su-  
per

---

(1) Cap. XIII. Bibl. Tom. V. pag. 253.

per eum ; ac deinceps per eundem Prophetam loquentem Filium recognoscat : Spiritus Domini super me , propter quod unxit me . Quam hæresim Dominus prævidens : Non creditis , inquit , quia ego in Patre , & Pater in me est : Quo dicto duas hæreses elicit , Sabellianam scilicet , & Arianam ; Patrem & Filium non esse unam personam ut Sabellius ; aut duas substantias , ut Arius , sed ( ut Fides Catholica confitetur ) unam substantiam , & duas docuit esse personas , . Alter locus est sub libri finem [i] isque plane eximius . , Unum dicimus in duobus ipso Domino suggestore : Ego & Pater unum sumus ; ut duo crederentur in una virtute . Non enim dixit tamquam ex una persona Patris & Filii , quasi Filius Patrem se confirmans : Filius meus sum , & , ego hodie genui me , & ante Luciferum genui me , & Dominus condidit me initium viarum mearum , & , ante facula fundavit me , & , ego & Pater unum sum ; sed reddens notitiam Sacramenti , distinctione non divisione personarum , Ego , inquit , in Patre , & Pater in me , Ego & Pater unum sumus , & , qui me videt , videt & Patrem : Videri ( legendum Veri ) enim Patris Filius , imago vera & figura expressa substantiae ejus , hoc est Dei sermo , non sonus vocis , sed res substantiva , & per substantiam corpulentiva . Non enim sine substantia constitit quod de tanta substantia fecit . Nihil ergo vacuum de pleinō , nihil inane de solidō ; quia Dei sermo spiritus ( lege spiritu ] Dei instructus est , & ut evidentius dicam , sermonis corpus est Christus [ lege spiritus ] ; corpus enim spiritus , sed corpus sui generis . Nam & invisibilis & incomprehensibilis spiritus . Numquid tamen inane , & vacua res Deus ? Deus enim spiritus est , . Ecclesiæ Patres , ut notum est , cum adversus Sabellianos disputatione , Verbum Dei vel ὄτιῶδες , substantivum , vel ἐνυπόσατος , subsistens nominant , ut humano verbo sive sermoni opponant , mero scilicet aeris sono , cui nihil solidi intent . Hunc errorem ante Sabellium propugnaverat Præreas , qui primus ex Asia hoc genus perversitatis Romanam intulit . Celebris est singularis liber , quem adversus eum scripsit Tertullianus ; sed non pauci fortasse ignorant Phœbadium iisdem ratio-

(1) Cap. XX. pag. 255.

Iationum momentis, quin & verbis ipsis, Sabellianæ impietati bellum inferre, quibus ille usus fuerat contra Praxeam. Quod ne gratis dicere videar, locum describam ex Cap. VII.

„Ergo, inquit Africanus Doctor, das aliquam substantiam esse sermonem spiritu & sophia traditione constructum. Plane. Non vis enim eum substantivum babere in re per substantia proprietatem, ut res & persona quedam videri possit; & ita capiat secundus a Deo constitutus duos efficere, Patrem & Filium, Deum & Sermonem. Quid est enim, dices, sermo, nisi vox & sonus oris, & sicut Grammatici tradant, aer offensus, intelligibilis auditu? At ego nihil dico (reponit Tertullianus] de Deo inane & vacuum prodire potuisse, ut non de inani & vacuo prolatum; nec carere substantia quod de tanta substantia processit, & tantas substancialias fecit: Fecit enim & ipse quæ facta sunt per illum. Nam et si potest aliquando quid fieri diversum ejus per quod fit; nihil tamen potest fieri per id, quod vacuum & inane est. Vacua & inanis res est sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est? Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo. Scriptum est, non sumes nomen Dei invanum. Hic certe est, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo. In qua effigie Dei? Utique in alia, non in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, et si Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. „Et cap. VIII., Sermo spiritu structus est, & ut ita dixerim, sermonis corpus est spiritus „. Ex his interim colligimus 1. emendandum ad fidem libri contra Praxeam, uti fecimus, Phœbadii locum, ubi legitur: *Quia Dei sermo spiritus Dei, Christus, instructus est, & ut evidentius dicam, sermonis corpus est.* Alii perinde absque ullo sensu legunt: *Sermonis corpus est Christus.* Atque utinam mederi licet aliis locis ejusdem libri, quem plura menda obscuriorum reddunt. 2. Utrumque scriptorem ita ratiocinari: Deum scilicet non esse quid inane & vacuum. Atqui Sermo, seu Dei Verbum Deus est Patri æqualis. Non est igitur inane quid & vacuum, non est vocis sonus, uti Praxeas & Sabellius commenti sunt. Deus præterea spiritus est. At spiritus est corpus sui generis, vera nimirum & perfecta substantia.

Cum

Cum igitur Dei Verbum sit Deus, atque adeo spiritu instru-  
ctus, seu potius Verbi Divini Corpus sit spiritus, fangi ne-  
quit rem esse inanem & vacuam; sed *substantia* sit necesse  
est, utpote qui Filius & Deus est, ac de ipsamet Patris sub-  
stantia processit, & per ipsum omnia facta sunt. Cæterum  
si cui duriores & absurdæ videntur loquendi formulæ, quibus  
præsertim Tertullianus abutitur, consulat velim doctissimum  
virum (1) qui peculiari dissertatione explicandum suscepit,  
quid Septimio sit *corpus*, ubi de Deo ejusque Verbo agit, si-  
ve in libro contra Praxeam, sive in cæteris; nec enim eru-  
ditus ille Theologus neglexit animadvertere eamdem, quæ  
in Tertulliano carpi solet, sententiam, atque ipsa prope ver-  
ba ab Episcopo Aginnensi usurpari: Quem tamen, inquit,  
nemo inventus est qui reprehenderit. Sed hac de re alii dif-  
putent.

Quod mihi propositum erat, ostendi, ne impudentissi-  
mum quidem Nicænæ Fidei hostem Phœbadio objicere po-  
tuisse, quod imprudens, aut dolo malo cum Sabellianis Tri-  
nitatem intra unius personæ coegerit angustias. Multo minus  
id ei timendum erat a Censore Catholico atque amico: Quod  
tamen Benedictini colligunt ex altero libello *de Fide*, in cu-  
jus præfatione auctor [idest, sicut Viri illi doctissimi suppo-  
nunt, Phœbadius] refert in libro (2) adversus Arianos a se  
iampridem edito quædam a nonnullis *pro studio doctrinæ*, vel  
*pro caritatis officio adnotata fuisse*, quasi nos (inquit) *Per-  
sonam Verbi*, quod est *Filius*, negaremus. Incredibile vero est  
quam quod maxime, genuinum Phœbadii opus contra Aria-  
nos suspicioni huic locum ullum reliquisse; cujus auctor San-  
ctissimus (ut excerpta, quæ allata sunt, omnino persuadent)  
Libycum hostem nedum cautus declinat, sed cum eo palam  
congreditur. Alter ergo ab Antistite Aginnensi quærendus est,  
qui Arianos refellens in errorem Sabellii incidere videatur. Hic  
est procul dubio auctor hactenus ignotus libri *de Fide*. Ignotum  
tamen non est, cur severiorem Sabelliani erroris notam subie-  
rit,

## D

(1) Josephi Antonii Cantova de Septimio Tertulliano, & de S. Epiphano Dis-  
sertationes duæ: Viennæ 1764.

(2) V. Bibl. PP. Tom. V. pag. 257.

rit, quemadmodum suo loco demonstratum est adeo perspicue, ut his retractandis immorari hominis sit, qui otio abuti velit.

V. Multo facilius exploditur opinio Francisci Chiffletti. Nec enim Vigilius Tapsensis, ut illi afferere placuit, auctor dici potest libri illius, ex quo nonnulla descriptis Sanctus Augustinus Vigilii *ævo* longe superior. Superest igitur inquirendum, an potiori jure illum sibi vindicet Gregorius Bæticus. Omnes ferme norunt, Episcopum hunc Eliberitanum floruisse *sæculo IV.*, atque infracto animo Arianæ factionis minas, & contumelias neglexisse. Quemadmodum enim ad ipsum rescribens testatur S. Eusebius Verrellensis, pro Nicæna Fide (1) is fortiter *transgressor Oſo reſtitit*, ac plurimis, qui in Ariminensi Concilio Valenti & Ursatio, cæterisque hujus furfuris communicantes ceciderant, *affensum ſuum denegavit*. Luciferi Calaritani obitum *referebatur* Sanctus Hieronymus in Chronico ad annum CCCLXXIV. *Hic fuit, inquit, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum & Philone Libyæ nunquam se Arianæ miscuit pravitati.* Ubi, ut obiter moneam, non animi sui sensum prodit Doctor Maximus, sed quodammodo personam gerit hominis Luciferiani. Qui enim Luciferi partem sectabantur, ut satis notum est, nedum cum iis, qui in Constantii persecutione ceciderant, aut qui alias minus rectam de Fide doctrinam profitebantur; sed neque cum Orientis & Occidentis Ecclesiis, quæ pacis studio illos post ejuratam Arianam perfidiam cum honoribus receperant, communionem habere voluerunt, ne se illorum societate contaminarent: Alexandrinæ etenim Synodi decreto, quod ab universa Ecclesia probatum superbe rejecerat Episcopus Calaritanus, factum (2) ajebant ex Ecclesia lukanar. Gregorium ut infando huic schismati addictum summis efferunt laudibus qui olim Ursini schismati contra Sanctissimum Pontificem Damasum accesserant, Faustinus & Marcellinus Presbyteri in libello Precum (3) Valentianiano,

Theo-

---

(1) Epist. III. Vid. Bibl. Vet. PP. Tom. V. pag. 80. ed. Galland.

(2) apud S. Hieron. in dial. Orthodox. cum Lucifer. num. 1.

(3) Vid. num. XX, XXI, XXV, XXVII, Bibl. Vet. PP. Tom. VII. pag. 469. & seq.

Theodosio, & Arcadio Imperatoribus oblato. Illum præterea inter viros illustres memorat laudatus Hieronymus cap. V. his verbis. „Gregorius Bæticus Eliberi Episcopus usque ad extre-  
mam senectutem diuersos medioeri sermone tractatus composuit;  
& de Fide elegantem libellum: qui hodieque superesse dicitur,„  
Diligenter, uti solet, Vallarsius (1) ad hunc locum obser-  
vat, relativum *Qui* desiderari in codicibus Veronensi, & Guel-  
pherbitano: satis quoque otiose [ subdit Vir doctus ) mone-  
ret Hieronymus librum recens editum superesse; quare vo-  
cula illa rejecta Gregorium ipsum superstitem intelligit quo  
tempore S. Doctor Scriptorum Ecclesiæ catalogum fere ad um-  
bilicum perduxerat, anno scilicet Theodosii XIV, Æra Chri-  
stianæ CCCXCI. Hæc ille. Sed vocula *Qui* etiam retenta,  
quam in codice suo legit Græcus Interpres, adhuc illa ver-  
ba, *Qui* hodieque superesse dicitur, accipi debent non de libro,  
sed de longavo libri auctore Gregorio Bætico, quemadmo-  
dum ea accepit non anceps doctissimus Tillemontius. Ita fer-  
me cap. CXIV. ait Hieronymus, S. Epiphanius *superesse us-  
que hodie*. Et cap. CXXIV. se de Ambrosio Mediolanensi  
judicium non ferre, *quia superest*. Præsertim vero cap. CXXVI.  
ubi sermonem habet de altero Ambrosio, nempe Alexandri-  
no, qui Didymi auditor fuit, scripsisse refert præter alia com-  
mentarium in Job: *Qui usque hodie superest*. Hæc autem red-  
dit Sophronius ὑπομνήστα, ὃς ἀχρι τῷ παρόντος περίεστιν. Adeo  
perspicuum est, voculam *Qui* nec ad librum de Fide, nec ad  
Commentarium in Job, sed vel ad Gregorium Bæticum, vel  
ad Ambrosium Alexandrinum referri; quorum uterque adhuc  
vivens inter viros illustres ob ingenii, doctrinæque monumen-  
ta locum adeptus est.

Nonnullos, ut Hieronymus testatur loc. cit., Hispanus E-  
piscopus composuit tractatus, sed in primis elegantem de Fi-  
de librum: quo sane encomio is, de quo differimus, indi-  
gnus non est, si Quesnelli aliorumque judicium sequi pla-  
ceat. Communem quidem hunc titulum esse opponunt Bal-  
lerinii (2) aliis hujusmodi scriptis, quæ seculo IV. prodie-  
runt

(4) Tom. II. pag. 293. nota (d)

(1) Nota 14. in Quesnelli Dissert. 14. Vid. S. Leonis op. Tom. III. pag. 922.

runt contra Arianos. Sed quod singulare ac proprium hujus libelli esse nemo negaverit, illud est, quod ex eo totidem verbis sententiam describat magnus Augustinus epist. CXLVIII. num. 10. quodam codice usus, qui Gregorii Nazianzeni nomen præferebat. Cum autem invictis rationibus constet nec auctori græco, nec Episcopo Nazianzeno tribuendum, cognomini latino Episcopo, quem hujus tituli & argumenti opus composuisse ex Hieronymo discimus, liber hic de Fide potius quam alteri reddi debet. Ut conjecturæ pondus accedat non leve, nimirum ut semel statuere liceat, Gregorium quemdam libri auctorem esse, quamquam satis nota sint quæ habet Augustinus in epistola laudata, ea tamen hic referre opus est „Gregorius, ait ille, Sanctus Episcopus Orientalis apertissime dicit, Deum natura invisibilem, quando Patribus visus est, sicut Moys, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicabilis materia dispositione assumpta, salva ejus invisibilitate, videri potuisse,. Cur hæc Orientali Gregorio tribuat, mox dicam. Ea certe legit in libro, de cuius parente jamdiu disputatur. Negantibus enim Arianis Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ atque naturæ, quod hic invisibilis sit, ille antiquis Patribus visus, reponit ignotus auctor Cap. III. „Huc accedit, quod sic Filium Dei, ut jam dictum est, visum a Patribus approbamus, ut non totum in illo, quod Deus est, videretur; sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis Filium Dei videre potuit, antequam conspicabilem materiam, sicut ei placuit, assumpit, vel ipsum hominem assumere dignatus est? „ & paucis interjectis: „Hæc omnia Filii Dei verba (a facie ad faciem) defendimus, quem in monte Sina cum Moyse loquutum esse scimus... sic vi-sus apparuit, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materia dispositione adsumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus, quam a conspectu hominum majestas interclusa seposuit,. Benedictini Historiæ litterariæ Galliarum conditores, ut ab hac se expediant difficultate, opinantur Sanctum Augustinum non ex libro de Fide, quem Phœbadio tribuunt, sed ex oratione, ni fallor, XXXIV. Nazianzeni mutuari rationem, qua Dei

Filius priscis viris in veteri Foedere se conspiciendum p̄buerit. Sed parcant ascetæ clarissimi. Hippomensis Episcopus nedum sensum atque doctrinam auctoris, verum & verba refert, quæ extant in libello de Fide, non autem in Gregorii Nazianzeni Oratione; quæ nondum latine reddita fuerat, nec unquam fortasse græcis litteris scripta ad Sanctissimi Patris manus pervenit. Hanc vero dictionem, *conspicabilis materia*, Sancti Hilarii propriam esse constat tum ex aliis ejus testimoniis, quæ nunc mihi in promptu non sunt, tum præsertim ex libro IV. de Trinitate num. 9. His nimurum fontibus, ut non semel observatum est, auctor libelli hortulos suos irrigare confuevit.

At Augustinus Gregorium appellat *Sanctum Episcopum Orientalem*, scilicet Nazianzenum, *magni*, ut alibi ait (1), *nominis & fama celeberrima illustrem Episcopum de partibus Orientis*. Hic tamen nodus facile solvitur, vitio rejecto in codicem, quo utebatur Sanctus Doctor. Nec enim librum de Fide in lucem auctor emisit suo nomine inscriptum; sed ab amico, cui dederat, *magnopere* (2) postulavit, *ut interim dissimilato auctore, dottis viris, & prudentibus legeret*. Cum vero opportunum hi duxissent libellum hunc vindicandæ catholicæ veritati, multi subinde eum *vel legere, vel describere voluerunt*. Aucta in hunc modum copia exemplorum, in vulgus spargi cœpit, Episcopum, Gregorium nomine, auctorem esse; tum etiam, ut par est suspicari, Gregorii nomen libro adjectum fuit, donec alter amanuensis Nazianzenum fama celebrem cum Eliberitano confundens, octo illius Orationum syllogen, quam adornaverat Rufinus Aquilejensis earundem interpres, peregrina merce auxit. Hujusmodi codex incidit in manus sancti Augustini. Huic vero scribenti ad Fortunatianum propositum erat modum explicare, quo Dei Filius olim Moysi virisque Sanctissimis visus fuerit; non autem (quod summo ingenio alibi, cum res posceret, persecutus est) peculiares atque intimos auctoris ac libri characteres expendere. Ex his notis aliæ sunt, quæ latini hominis faciem offrunt,

(1) Lib. contr. Julian. cap. V.

(2) Vid. Praefat. num. 2. pag. 257.

runt, de quibus satis dictum fuit; alias vero, quæ Bætico Episcopo apprime conveniunt, detexit Quesnellus<sup>(1)</sup>, a quibus, ne actum agam, recensendis abstineo, cum & repeti possint ex Natali Alexandro Hist. Eccl. sæc. IV. cap. VI. art. XXII.


Poscit argumentum, in quo hactenus versati sumus, quin etiam flagitat, ut addantur nonnulla de breviori altero Fidei libello, seu Oratiuncula, quæ L est inter Orationes Nazianzeni, relata in Codicem Ecclesiæ Romanæ cap. XXXIX. Hujus auctorem Viri docti [ quisque ex præconcepta opinione ] adstruunt vel Gregorium Nazianzenum, vel Bæticum, vel Phœbadium, eum demum, cui singuli adscribendam putant Orationem inter opera Nazianzeni XLIX. seu librum de Fide Orthodoxa contra Arianos, de quo hactenus disputavimus. His refutandis immorari piget, cum præsertim innitantur falsæ ( ut ostendimus ) suppositioni, qua statuunt auctorem dimicasse contra Arianos duobus libris, quorum alterum alterius explicandi causa edendum susceperebat. Paucis dicam: Auctor vetus quidem ille, sed utroque Gregorio, & Phœbadio recentior, latinus est; ac ( nisi Rufinum hoc opusculo ditare velimus ) hujus saltem scriptis delectabatur. „Venturum, inquit<sup>(2)</sup>, J. C. judicare vivos & mortuos expectamus... resuscitandos nos ab eo in his corporibus, & in eadem carne qua nunc sumus, sicut & ipse in eadem carne, qua natus est, & passus, & mortuus, surrexit: & animas cum hac carne, vel corpora nostra ab eo, aut vitam aeternam, præmium boni meriti, aut sententiam pro peccatis, aeterni supplicii recepturos „. Hæc conferas velim, amice lector, cum Rufino tum in Apologia ad Anastasium num. 4. tum in Invectiv. lib. 1. num. III. IV. VII., tum denique in expositione in Symbolum cap. 23. Cum enim hæc jamdiu observata fuerint Dissert. I. in Bacchiarium cap. II., vani aut saltem otiosi hominis esset hæc eadem re-coquere.

AP-

(3) Dissert. XIV. de Fidei libellis num. VII.

(1) Bibl. Noviss. Vet. PP. Tom. V. pag. 265.

# APPENDIX.





## SYNOPSIS.

I. S. Phœbadio Aginnensi tribuendum esse librum de Fide nullius momenti rationibus contendit Cl. Benedictinus S. Mauri. II. Observationes in Hispaniam Sacram. Gregorius Batetus diu Luciferiano schismati adhaesit. III. In communione Catholica pie obiisse arguento sunt Martyrologia Uſnardi, & Romanum. IV. Liber ejus non periiit, sed idem ille est, quem recenset S. Hieronymus. V. Conjectura in loca quædam S. Phœbadii, quæ medica manu indigent. idim

**C**um nondum eruditи consentiant, cui tribuendus sit liber de Fide; mihi quid magis arrideat proferre libuit in præcedenti Diatriba, cui supremam manum imposui, parum sollicitus in tanta hac luce litteratum illam e tenebris educere, dignam fortasse, quæ longum prematur in ævum. Sed qualicumque ea sit, nonnulla tamen explicat, quæ viros doctissimos hactenus effugerunt. Sunt quidem, hac præsertim ætate, plerique ac fere omnes, qui libri hujus auctorem non censem in Græcia querendum: His ultiro assentimur; sed nemus unus (absit verbo invidia) ejusmodi argumenta protulit, quibus causa tandem finita sit. Nemo satis animadvertisit scriptorem hunc abhorrere a prudenti œconomia, qua difficillimus illis Ecclesiæ temporibus utendum existimavit S. Gregorius Nazianzenus; cui plane invito liber olim adscriptus fuit tamquam auctori primigenio, Rufino vero ut Interpreti. Recens præterea Benedictinorum opinio, qui S. Phœbadium hoc veluti secundo contra Arianos volumine ditare conantur, maturius a nobis expensa, nullo prorsus inniti fundamento videtur. Tandem peculiares quasdam notas adjecimus,

quæ Gregorio Bætico vindicant præclarum hoc Sæculi IV. monumētum.

His vero, ut alia præteream, pro modulo illustratis, nullo mihi opus esse additamento putabam, cum nuperime huc pervenit beneficio amplissimi Ecclesie nostræ Archiepiscopi Jo. Hieronymi Gradonici, quem Deus O. M. religioni & litteris incolumem servet quam diutissime<sup>(1)</sup>, pervenit, inquam, Tomus I. Operum omnium S. Gregorii Nazianzeni cura & studio Monachorum S. Mauri typis Parisiensibus evulgatus jam inde ab anno MDCCCLXXVIII. Statim mihi se obtulit rejectus ad appendicem liber, de cuius auctore quæstio est, cum hoc titulo: *De Fide Orthodoxa contra Arianos Tractatus primus*. Monitum Asceta præmittit, quod huic appendici occasionem præbet. Librum Vir doctus abjudicat Nazianzeno, ac nonnullius, ut ait, momenti rationibus probari posse declarat, non græce sed latine scriptum: Quas cum e Quesnello repeatat, nulliusve mihi momenti visæ sint Diss. cap. i. ubi veterum interpretum morem luculentissimis exemplis ostendi, supervacaneum est de illarum levitate plura dicere.

His expeditis Cl. Vir nomina recenset eruditorum, qui Sancto Ambrosio, Vigilio Tapsensi, Gregorio Bætico librum assignant. Sese vero Sociis adjungit inclytæ suæ Congregatiōnis, qui multiplici arguento in Historia litteraria Galliarum restituendum pronunciant Sancto Phœbadio Aginnensi, cuius nempe, præter indubium ejus fœtum contra Arianos, alia quoque opuscula ferebantur ætate Sancti Hieronymi.,, *Quidni igitur* ( concludit ) *in illorum numero, quos non legerat Hieronymus, tractatum istum reponamus?* Tanta siquidem est istius cum altero affinitas, ut nullo modo alter ab altero divelli posse videatur,,. Hæc ille. Sed æqui lectores, posteaquam accurate observaverint quæ a nobis dicta sunt Dissertationis cap. IV. nullo negotio deprehendent, argumenta omnia, quæ adhibent Scriptores Galliæ litteratae, sumpta esse ex ejusmodi notis, quæ libro huic *de Fide communes omnino sunt cum ceteris illius xvi: librum vero contra Arianos, quo meruit Phœba-*

---

<sup>(1)</sup> Postquam hæc scripseram, Præful optimus, meique amantissimus p[re]i obiit die 30. Junii anno 1786.

badius inter Viros illustres a Sancto Hieronymo recenseri, ita differre ab eo, cuius parentem querimus, ut unus atque idem parens utriusque haberi nequeat. Quid refert ad rem hanc alia extitisse Phœbadii opuscula? His utinam tempus, aut barbari pepercissent. Nobis satis est, Gregorium Bæticum Viris illustribus adjungi ob elegantem de Fide libellum: quia laude indignus non est ille seu liber seu tractatus, cui illustrando pro viribus operam dedimus; cuiusve stylus multo planior fluit ac ille, quo utebatur Aginnensis Episcopus. De hoc enim Galliz christianæ lumine idem, ni fallor, judicium ferre licet, quod Hieronymus de Pictaviensi Episcopo tulit (1): „Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur.... & a lectione simpliciorum fratrum procul est „. Quamobrem non tam incuria amanuensem, quam tarditate mendis plurimis adspersus ad nos pervenit, ut jam observavimus Diff. cap. IV., ac videre est in calce hujus appendicis. Sed de monito Benedictini monachi satis.

Insigne opus, quo duobus abhinc mensibus Archiepiscopalem Bibliothecam ditavit Jo. Hieronymus Gradonicus, semper mihi qua par est honoris gratique animi significatione nominandus, *Sacra nimirum Hispania* me rapit antehac ignarum, quid Henricus Florezius Ordinis S. Augustini, Vir pluribus nominibus illustris, qui præclarum hoc ingenii sui monumentum reliquit, quid, inquam, senserit de Gregorio Bætico, deque illo adversus Arianos syntagmate, cuius auctorem alii alium esse opinantur. Quæ vero mihi parum arrident libere proferam, quamquam obstrictus Viro doctissimo atque humanissimo, qui hujus ejusdem operis Tom. XV. pleraque calculo suo probavit, quæ jampridem differui de patria Bachiarii (2), deque hæresi Priscilliana, in cuius suspicionem ipse venerat ex patriæ præjudicio. Is igitur Eliberitanæ Ecclesiæ Episcopos recensens (3) fusius, ut par erat, agit de Gregorio Bætico, singillatim vero famam ejus atque sanctitatem vindicandam suscipit. Nec enim satis constare ait, Lu-

(1) Epist. ad Paulinum LVIII. num. 10. Edit. Vallars.

[2] Bachiarii Opuscula: Romæ 1748.

(3) Tom. XII. Tract. XXXVII. cap. III. a num. 67. ad 112.

ciferiano schismati fuisse addictum; neque Hieronymi testimoniū in Chronico quidquam negotii faceſſere. Hęc enim Doctor Maximus refert ad annum CCCLXXIV., „Lucifer Caralitanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libya numquam se Ariana miscuit pravitati,,. Hoc autem, Florezius subdit, laude dignum, & cum Luciferō duobus Episcopis Gregorio, & Philoni commune est. Quę vero statim adduntur in Chronico, nempe „sed dum vigorem justitiae erga correctionem eorum qui ceciderant, non relaxat, IPSE a ſuorum communicatione descivit,,, hęc nimirum a Cardinali Baronio neglecta, non Gregorium nec Philonem, sed unum fugillant Calaritanum Antistitem, ac genuinum produnt ſenſum Hieronymiani testimonii; tres quidem fuisse Episcopos, qui conſtanter pro Nicēna Fide dimicarunt; unum vero Luciferum prae nimia ſeveritate ſchisma feciffe, quod ab illo nomen accepit. Sed non vidit acutus alioquin Florezius, quid ſibi statim opponi poſſit. Cur enim duos, nec plares Ecclesiarum Paſtores Lucifero Hieronymus adjungit Ariano dogmati infenſos? Nonne par nobile Epifcoporum Hilarius & Eusebius non ſolum impia factioni nunquam ſe immiſſuit, ſed & invicta uterque obſtitit animi fortitudine, alter in Phrygiam, alter ad ſuperiores Aegypti Thebaidas deportatus? Ideo igitur non alii præter Hispanum & Libicum memorantur, quod nemo ſaltem alicujus nominis ex Epifcopali ordine cum Lucifero antefigrano ſaluberrimam Catholicę Ecclesię diſpensationem, quam paulo ante Novatianis Nicēni Patres obtulerant, improbare auſus fuerit. Quid? quod verba illa, quę veluti neglecta a magno Annalium parente Florezius profert in ſui Gregorii defenſionem, in Chronico Hieronymi non extant, ſed ea dumtaxat, quę reperire juvat: „(1) Lucifer Caralitanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum & Philone Libya numquam se Ariana miscuit pravitati,,. Quę fane, ut innuebam Diff. cap. V. accipi debent ceu dicta in perſona Luciferianorum, qui ſe labis Ariana puros jaſtabant, quod ſoli abſtinerent a com-

mu-

---

(1) V. Operum Tom. VIII. Edit. Vallars pag. 281.

munione Præsulum Ecclesiæ Catholicæ, qui Arianos Episcopos, ejusque erroris suspectos sub poenitentia vel satisfactio-  
ne, ut ait Sulpitius Hist. Sac. lib. II. cap. XLV, cum ho-  
noribus receperant. Quare Florezius immerito notat Baro-  
nium, qui Hieronymi testimonium integrum profert absque  
illo additamento, quod in Chronico suo exhibuit Sanctus  
Prosper Aquitanus. Non est igitur quod miremur, si idem  
Baronius (1) ad genuinum Hieronymiani chronici locum ob-  
servari jubeat non ita accipiendum, ut soli inter omnes Epi-  
scopos tres illi ab Ariana impietate immunes fuerint, cum  
in Occidente paucissimi numerentur hac pestilentia infecti;  
sed tres illos excipi, quod se ab Episcoporum atque adeo  
ab Ecclesiæ communione secreverint. Eandem explicationem  
adhibet Arnaldus Pontacus in notis ad h. l., eique subscri-  
bit Tillemontius Tom. VII. art. XVIII.

Ex his liquet Gregorium partam rebus contra Arianos  
præclare gestis gloriam Luciferiano schismate maculasse: quod  
Viris doctis adeo persuasum est, ut ejusdem resipiscientiam  
revocari velint in dubium. Ita mox laudatus Tillemontius,  
ita Pagins in Critica annal. ad an. CCCLXXVIII. num.  
XIII. atque ab eo citatus Hermantius in Vita Sancti Ambro-  
sii lib. X. num. II., tandem, quod miror, Joannes Bapti-  
sta Sollerius ad diem XXIV. Aprilis Martyrologii Usuardi,  
quod a se illustratum edidit Tom. VI. Junii & sequenti. Mi-  
rror, inquam, Sollerio hoc dubium hæsisse; cum hujus po-  
tissimum Martyrologii auctoritate fretus auctor Hispaniæ Sa-  
crae sanctitatem Gregorii ejusque cultum vindicandum susce-  
perit. Illi præiverat Daniel Papebrochius (2), qui tamen ne  
verbum quidem habet de Eliberitani errore, uti neque de  
poenitentia, qua non veniam modo, sed impensum Sanctis  
cum Christo regnantibus honorem promeruit. Nos absque  
ulla difficultate æquiori magni annualium Parentis judicio sub-  
scribimus, qui ad annum CCCLXXI. num. LXXI. hæc  
habet. „Porro Gregorius creditur postea saniori menti redditus,  
duram-

(1) Vid. Annal. ad an. CCCLXXI. num 812.

(2) Acta SS. Tom. III. April. pag. 269., & in Append. pag. 996.

duramque austoritatem illam flexisse in Catholicæ observantia re-  
titudinem., Quare Vir summus veritus non est ejus nomen  
ex Uuardi Martyrologio in Romanum transferre, quamquam  
ad inserendas Sanctorum, qui non erant, annunciationes pro-  
pensus non esset, ut ex quibusdam eximii Cardinalis sche-  
dis, quæ in Vallicellana Bibliotheca servantur, se didicisse  
testatur Benedictus XIV. (1). Spectato hominum ingenio re-  
cte arguit Rufinus Hist. Eccl. lib. I. seu IX. cap. XXX. te-  
mere cepta corrigi spatio solere. Hæc noster de Lucifero, de-  
finire nolens, ei tempus ne, an animus defuerit, quominus  
sententiam immutaret. Latuit vero illum cum hæc scriberet,  
quo tempore schismatis auctor ad plures abiisset. Nec enim  
cita morte præventus fuit Lucifer, qui (2) pacem Ecclesiæ tur-  
bare atque unitatem abrumpere cœpit anno CCCLXII. vi-  
xitque ad annum CCCLXXIV. Gregorius Bæticus ad extre-  
mam senectutem devenerat anno XIV. Theodosii Magni,  
Christi CCCXCII. Itaque mortuo jampridem, ante annos  
scilicet XVIII., erroris duce, parum verisimile est, tamdiu  
Gregorium in tenebris jacuisse, atque in regione umbræ mor-  
tis. Hilarium quoque Romanæ Ecclesiæ Diaconum, qui post  
plura contra Arianos præclare gesta Luciferi partes secutus,  
hæresim schismati addiderat, S. Damasi studio Pagius aliive  
(3) ad unitatem rediisse sentiunt, quamquam Orthodoxus a-  
pud Hieronymum in Dialogo num. 21., *cum homine*, inquit,  
*pariter interierit & setta*. Quo vero tempore contigerit hæc mu-  
tatio dexteræ Excelsi, definiri nequit. Certum nobis est obiisse  
morte iustorum. Neque enim fas cuiquam esse arbitramur  
post Uuardi testimonium hac de re ambigere; præsertim cum  
ex ejus Martyrologio in alia, quæ afferunt Papebrochius &  
Sollerius, in Romanum etiam Gregorii nomen translatum sit.  
Ante hujus correctionem a Baronio adornatam extat quod  
lau-

[1] In Bulla ad Joan. V. Portug. Reg. præfixa Martyr. Rom. & Bull. Tom. II. pag. 261.

[2] V. S. Hieron. Chronicum Operum Tom. VIII. pag. 812. & de Vir. Ill. cap. IV. Tom. II. pag. 923.

[3] V. Luciferi Opera Ven. 1777. curantibus Cll. VV. Jo. Hieron. & Jacob. Coletti pag. 36.

laudatum non vidi, Martyrologium secundum morem Romanae Curiae impressum Venetiis per Antonium & Fratres de Sabio anno Domini 1522. ubi VIII. Kal. Maii legitur: *Item civitate Aiberi (sic) Sancti Gregorii Episcopi & Confessoris.* Usuardi autem Martyrologio tanta adhibenda est fides, ut moralem pariat certitudinem veteris ac legitimi cultus, quem Antistiti gentis suæ Hispani tribuebant. Nam et si Usuardi collectio ex eorum operum genere sit, quæ sensim nominibus primigenio auctori ignotis locupletata fuerunt, quemadmodum, præter alios non paucos, observat Dominicus Georgius in Præfat. ad Martyrologium Adonis cap. 1. numeris 4. 8. 9., certe Gregorii Baetici nomen furtim in Usuardinum irrepsisse ne suspicari quidem licet. Floruit siquidem, ut satis notum est, Usuardus Sec. IX. monasticæ vitæ addictus in celeberrimo Cœnobio S. Germani a Pratis, ubi etiamnum, Mabillonio teste (1), illius monumenti Autographum, aut saltem exemplar eodem ipso ævo descriptum servatur. Ad hujus codicis fidem post Sollerium, qui altero optimæ notæ usus fuerat, editionem suam curavit Jacobus Bouliart ejusdem ac Mabillonius inclytæ Congregationis alumnus; quam præ Solleriana celebrant Gallicæ Ephemerides ad an. 1718., & Benedictini in hist. litter. Galliarum (2). Eo statim plausu exceptus fuit liber Ascetæ Sangermanensis, ut omnes fere Occidentis Ecclesiæ illo uti cœperint. Quin & Romanæ omnium matris non aliud in usu fuisse opinatus est Joannes Molanus; a quo tamen dissentire se profitetur Cardinalis Baronius (3), sed qua erat modestia errorem Theologi Lovaniensis *venia dignum* pronunciat. Ad hæc maximam conciliat auctoritatem ei, quo de agimus, Sanctorum Catalogo iter Hispanticum iussu Caroli Calvi Regis Francorum, atque Hilduini II. Abbatis ab Usardo susceptum, ut Basilicam illius Monasterii S. Vincentii Martyris exuvias ditesceret. Hunc quidem thesaurus ne in Gallias transferret, impedimento fuerunt Barbari, qui florentissimas provincias invaserant. Sed ei licuit diligenter

(1) Annal. Ben. Tom. 2. lib. 32. num. 51. pag. 589.

(2) Tom. V. pag. 437. & seqq.

(3) Vid. Tract. de Martyr. Rom. cap. IX.

ter inquirere , quinam aut martyres , aut sacerduli in pace vi-  
ctores publico in illis partibus cultu fruerentur . Hac igitur  
messe onustus ad monasterium suum rediit , nec labori par-  
cens Martyrologium a se compactum piissimo , ut ait , Regi-  
nuncupavit , praefatus si quid auctum vel mutatum est , sagaci  
indagine a se perquisitum fuisse . Non est argumenti hujus in-  
dicare quæ mutanda censuit ; præstat vero obiter innuere quid  
*auctum* ab eo sit , nomina scilicet illa , quorum in antiquo-  
ribus Sanctorum Fastis nulla mentio habebatur , eaque præ-  
sertim , quæ sagaci indagine in Hispanico itinere collegit . Me-  
moriā itaque S. Juliani Toletani Episcopi , cuius depositio  
refertur pridie Nonas Martii , Sollerius verosimile existimat  
ab Usuardo primum in Gallias allatam ; idemque ad XV. Kal.  
Maii notat , Martyrum Cordubensis atque aliorum plurium  
dies festos eadem occasione pio Ascetæ innotuisse . Quæ sane  
Bollandiani Hagiographi observatio confirmatur invicem col-  
latis martyrologiis Adonis & Usuardi . Illud enim absque ad-  
ditamentis ab accuratissimo Georgio editum de plerisque si-  
let , quos Sangermanensis Monachus eo , qui cælitibus impen-  
ditur , honore affici didicerat Toleti , Malacæ , Emeritæ , Itali-  
æ , Tolosæ , Gerundæ , Cordubæ , aliisque in urbibus , qua-  
rum plures tunc temporis jugo Saracenorum premabantur .  
Neque sua deerant Eliberitanæ Ecclesiæ ornamenta , Antisti-  
tes nimirum , addicti primum aulo Constantiniano Metropo-  
li Tarragonensi , dein Seculo VI. ad Hispalensem Provinciæ  
Bæticæ Metropolim spectantes . Vedit igitur Usuardus , aut ex  
probatis monumentis accepit , in Eliberitanæ Ecclesiæ diptychis  
inveniri descriptum jampridem VIII. Kal. Maii S. Gregorii  
Episcopi & Confessoris nomen : cuius etiam cultum ad fini-  
timas Dioceses propagatum fuisse colligere mihi liceat ex decre-  
to Concilii Gerundensis celebrati anno DXXII . quo sanctum est  
„ ut quomodo in Metropolitana Ecclesia fuerit , ita in Dei nomine  
in omni Tarragonensi provincia , tam ipsius Missæ ordo , quam psal-  
lendi , vel ministrandi consuetudo servetur „ (1) . Concilio huic  
præfuit metropolitico jure Joannes Tarragonensis , eique in-  
ter-

---

(1) V. Concil. Collect. Labb. Venet. 1728. Tom. V. pag. 702. &c.

terfuit, ejusque decretis subscrispsit Orontius Eliberitanus, qui adhuc, ut paullo antea dictum est, ad provinciam Tarragonensem pertinebat. Quemadmodum vero cultus Sanctorum Ecclesiarum principis ad provinciales dimanabat, Sancti perinde provincialium Ecclesiarum in Metropolitana colebantur; atque ita evenit, ut festa, quæ statim ab antistitium piorum obitu, vel a martyrum triumpho localia erant, ad finitimas dioeceses extenderentur cura Episcoporum, qui arctissimo Ordinationis, Conciliorumque vinculo juncti erant.

Sed ne appendix nimium ex crescatur, pauca dicam de Florezii observationibus in scripta Gregorii, de quibus agit a num. 107. ad 112. Hoc unum mihi non probari libere fateor, quod asserat, Tractatum de Fide, quem Gregorio abjudicat, meram esse apologiam, qua suam Fidem vindicat ignotus auctor, non librum, cuius præcipuus scopus sit explicare Doctrinam Catholicam adversus Arianos (*y no  
obra escrita de primera intention*), cuiusmodi erat Gregorii Bætici liber laudatus a S. Hieronymo. Hoc, inquam, nec mihi arridet, nec cuiquam, opinor, difficultatem faciet, quo minus eximum hoc monumentum Episcopo illi tribuendum censeat. Prima enim operis hujus elucubratio, quæ præter mentem auctoris in lucem prodiit, distinguenda est ab ea, quam is, ut se purgaret, secundis curis adornavit. Prior illa una tantum parte constabat; altera duas complectitur, nimirum præfationem apologeticam, qua satisfacit censoribus libri jam editi, tum etiam præmisso Nicæni Concilii Symbolo eundem librum de Fide recudit paucis immutatis, ubi visus fuerat Sabellianæ hæresi patrocinari. Sed etiamsi demus, tractatum, de quo agitur, esse apologeticum; nihil prohibet quin idem sit, ac ille, quem in libro de Viris illustribus a Gregorio Bætico eleganter conscriptum Sanctus Hieronymus memorat. Librum de Fide inscripsit etiam Bachianus, ut notam abstergeret Priscillianismi, in cuius suspicionem ex patriæ præjudicio inciderat. Sed de his satis.

SANCTI PHÆBADI AGINNENSIS EPISCOPI  
*LIBER CONTRA ARIANOS.*

EX BIBLIOTHECA VETERUM PATRUM etc. CURA ET STUDIO  
 ANDREÆ GALLANDII PRESBYTERI CONGREG. ORATORII

TOM. V.

*Errata*

*Cerrige*

pag. 250. C.

I. n. II. nomen vero substan- I. penitus *ejuratur*.  
 tiæ idcirco penitus juratur.  
 ibid. B.

II. Si hæc igitur singula non II. sed auctoritate *divini elo-*  
 humana præsumptione, sed *qui refellimus*  
 auctoritate Divina loqui re-  
 fellimus  
 ibid. B.

III. ut tantum nomine Domi- III. ut tantum nomine *Deum*  
 ni dicant. dicant.  
 ibid. B.

IV. n. IV. in tantum a Patre  
 Filius separatur, ut nobis &  
 nativitatis conditio, & hu-  
 manitatis infirmitas societur.  
 pag. 251. B.

V. n. VI. & venenum prius so-  
 lito solitus adsperrere liber-  
 tate victoriis pariter totum  
 effuderit.  
 ibid. B.

VI. n. VI. dantes bene creden-  
 tibus communis fidei dex-  
 teras.

VII. n. VII. Quod si relucebit,

IV. ut nobis & nativitatis *con-*  
*ditione*, & humanitatis in-  
 firmitate societur.

V. & venenum prius solitus  
 adsperrere, (dein) libertate  
*victoris* totum pariter effu-  
 derit.

VI. communis fidei *tesseram*.

VII. erit apud nos *innoxius no-*  
 mi-

- I  
erit apud nos intuitus no-  
minis status : Erit & illorum  
fensus in vitio  
pag. 252. A.
- VIII. n. VIII. & fuisse ante-  
quam nasceretur  
ibid. C.
- IX. n. IX. & penes eundem  
ingenitum desivit Pater ha-  
bere quod genuit  
idem B.
- X. n. X. non est enim peni-  
tus occultum quod non po-  
test revelari.  
pag. 253. A.
- XI. n. XIII. merito major,  
quia non ipse descendit in  
Virginem, quod Sabellius  
notuit, apud quem Pater &  
Filius ambo non sunt, hoc  
est duum nominum una per-  
sona .  
pag. 254. A.
- XII. n. XV. vos tamen idem  
sentientes abrupta blasphem-  
ia , verba vitantes , ambi-  
gua sectamini .  
ibid. A.
- XIII. n. XVI. Ideo autem Sa-  
pientia Dei nata & condita  
nuntiatur, ne quid præter  
ipsum Deum Patrem , qui  
est etiam suis origo virtuti-  
bus , crederetur in natura .  
pag. 255. D.
- XIV. n. XX. & Dominus con-  
didit me quia Dei sermo ,
- minis status.
- VIII. & (non) fuisse antequam  
nasceretur .
- IX. & penes eundem *genitum*  
( non ) desivit Pater habere  
quod genuit .
- X. non est enim penitus oc-  
cultum quod potest reve-  
lari .
- XI. merito major, quia non  
ipse descendit in Virginem,  
quod Sabellius *voluit*, apud  
quem Pater & Filius *unus*  
( vel *unum* ) sunt ; hoc est  
duum nominum una perso-  
na ,
- XII. abrupta *blasphemie* ver-  
ba vitantes .
- XIII. crederetur *innatum*
- XIV. *sed*, Dominus condidit  
me ... quia Dei sermo *spi-*  
*F 2* *ri*.

Spiritus Dei, Christus , in-  
structus est ; & ut evidentius  
dicam, sermonis corpus est :  
Corpus enim spiritus , sed  
corpus sui generis .

ritu Dei instructus est ; &  
ut evidentius dicam, sermo-  
nis corpus est *spiritus* : Cor-  
pus enim spiritus , sed cor-  
pus sui generis (a) .



DE

(a) Ex Tertulliano ut in Dissert. utriusque locis collatis demonstratum est.

D E  
**SANCTO HILARIO**  
PICTAVIENSI  
ORIGENIS INTERPRETE.

ад  
ОИЛАН ОТСИА  
PIOTAVIENSIS  
ORIGINS INTERPREATE



## SYNOPSIS.

I. Sanctum Hilarium inter Origenis interpretes frequenter laudat Sanctus Hieronymus. II. De versione homiliarum in Jobum, cuius meminit Licinianus Carthaginensis in Hispania Episcopus. III. Quomodo accipiendus Hieronymi locus: Hilarii libros inoffenso decurrat pede. IV. De auctore librorum in Jobum inter Origenis Opera, cui perperam inuritur Arianismi nota, conjectura. V. Homiliae in Psalmos quosdam a Martenio editae Hilario abjudicantur. VI. Sermo ad Neophytos collatus cum Origenis fragmentis in Psalmos.

I. Sanctus Hieronymus frequenter cum in Epistolis suis, tum in libris adversus Rufinum nonnulla Origenis opera affirmat latine reddita fuisse ab Hilario Pictavorum Episcopo, illustri, ut omnes norunt, Nicenæ fidei vindice: cui licet alicubi (1) leviorem græcarum literarum peritiam concedere videatur; passim tamen summis illum vel hoc nomine laudibus cumulat; tantique viri exemplo æmulos refellit, qui eum criminabantur, seu quod olim dedisset operam Origeni interpretando, quem perniciosis erroribus scatere contenderet: seu quod plerosque illius errores dissimulans eadem in vertendo licentia usus fuisset, quam Rufino objiebat. „Si quæ bona sunt, inquit (2), transtuli, & mala vel amputavi, vel tacui, arguendus sum, cur per me Latini bona ejus habeant, & mala ignorent? Si hoc crimen est, arguantur & Confessor Hilarius, qui Psalmorum interpretationem, & Homilias in Job ex libris ejus, id est, ex græco in latinum trans-

tu-

(1) Epist. LXXXIV. num. 3. Edit. Vall.

(2) Epist. LI. num. 2.

tulit. „ Et Joanni Hierosolymorum Episcopo , qui Origenianæ parti favebat, quærenti , cur quædam Græci Doctoris opera nostræ lingua hominibus deditset , quæ pias illorum aures offenderent , “ hoc , inquit Hieronymus [1] , non solus ego feci , sed & Confessor Hilarius fecit ; & tamen uterque nostrum noxia quæque detruncans , utilia transtulit . „ De methodo hac interpretandi suo loco verba faciam . Interim vero ex allatis constat , Hilarium sibi locum poscere inter vñteres Alexandrini Doctoris interpretes ; ac vertenda selegisse opera , quæ piis hominibus utilia forent ; nimirum Enarrationes in Psalmos , & in Jobi librum Homilias .

Ingenue tamen fatendum est , rem hanc quibusdam difficultatibus obnoxiam esse . Nam idem Hieronymus semel atque iterum Hilario jungit Ambrosium , & Victorinum ; quos auctoris , non interpretis personam gessisse certum est . “ Nec doctiores , ait (2) , sumus Hilario , nec fideliores Victorino , qui ejus tractatus non ut interpretes , sed ut auctores proprii operis transtulerunt . Nuper Sanctus Ambrosius sic Hexaëmeron illius compilavit , ut magis Hippolyti sententias , Basiliique sequeretur . „ Si quis vero audeat dubitare , an forte qui extant plures numero inter Opera Pictaviensis Episcopi , tractatus in Psalmos , Origeniani sint , nec eidem Antistiti nisi ut liberiori interpreti adscribi debeant ; invicta obstant rationum momenta , quibus Petrus Coutantius (3) lubens quidem indulget Hilarium ex Adamantii scriptis profecisse , sed veri nominis interpretem esse negat . Aliud enim est ( uti vir summus animadver-  
tit ) quemdam auctorem sibi sumere ad imitandum ; aliud eundem interpretari : Nec interpres est dicendus , qui alia addit , alia resecat , cetera in proprium stylum convertit . Nihilo tamen secius Hilarium nedum imitatem , sed interpretem habendum plane demonstrat sæpius laudati Hieronymi eruditissima ad Augustinum Epistola , ubi (4) hæc habet : „ Apud Latinos Hilarius Pictaviensis , & Eusebius Vercellensis

Epi-

(1) Epist. LXXXIII. num. 7.

(2) Epist. LXXXIV. num. 7.

(3) Vid. Admonit. Gen. num. XIII. XIV. XVI. &c.

(4) Epist. CXII. num. 20.

Episcopi Origenem & Eusebium ( in Psalmos ) translaterunt ;  
 quorum priorem & noster Ambrosius in quibusdam secutus est .,,  
 En ut apertissime binos interpretes ab auctore distinguat . Hi-  
 larius nimurum & Eusebius , ille Origenis , hic vero cogno-  
 minis Cæsariensis Episcopi lucubrations in Psalmos transstu-  
 lerunt : Ambrosius autem non ita fecit ; sed quedam ex O-  
 rigene selegit , præsertim agens de mundi creatione . In com-  
 mentario etiam de Viris Illustribus Cap. C. alibi dicta repe-  
 tens , atque accurate libros ex Hilarii penu depromptos a græ-  
 cis secernens latine redditis , memorat tractatus in Job ; quos ,  
 inquit , de græco Origenis ad sensum transtulit ; nempe more  
 suo liberius ac soleant plerique interpretes . Optimum enim  
 aliquando visum est eidem Sancto Doctori (1) genus illud  
 interpretandi , quo non verbum e verbo , sed auctoris redi-  
 ditur mens atque sententia ; idque Hilarium fecisse testatur ,  
 qui „ homilias in Job , & in Psalmos tractatus plurimos in la-  
 tinum vertit e græco ; nec assedit litteræ dormitanti , & puti-  
 da rusticorum interpretatione se torcit , sed captivos sensus in su-  
 am linguam vñctoris jure transposuit .,, Nihil venustius , at si-  
 mul aptius nihil ad confirmandum quod mihi videtur sin mi-  
 nus certum , saltem probabilius , expensis diligenter atque in-  
 vicem collatis omnibus Hieronymi testimoniosis . Nec enim in-  
 ter ipsum , & invidos ejus obrectatores quæstio vertebarunt ,  
 an primigenius cujuspam libri conditor contentiose sectari de-  
 beat voces & lineas alterius linguae scriptoris , quem imitan-  
 dum aggreditur . Quis enim hoc ab eo postulet , qui perso-  
 nam interpretis non suscepit ? sed quæstionis tunc exortæ hoc  
 erat argumentum ; rectene an secus interpretis munere Hie-  
 ronymus functus fuisset , qui celebrem Epiphanii Epistolam  
 eleganter quidem , sed liberius verterat . Qui vero tanti vir-  
 ingenii atque doctrinæ putabat sibi sufficere nominasse Hilari-  
 um Confessorem , hujusque exemplum velut omni exceptione  
 majus adversariis opponere , si quosdam Hilarius Origenis tra-  
 ctatus dumtaxat ut auctor imitatus est ; ipse vero Epistolam  
 Sancti Epiphanii ut interpres nostræ linguae hominibus de-  
 dit ?

(1) Epist. LXVII. num. 6.

II. Alter accedit testis, Licinianus Carthaginensis in Hispania Episcopus, cuius Epistolam ad Gregorium Magnum edidit (1) Lucas Acherius. Ad hunc vero sanctissimum, doctissimumque Pontificem scribens penes se esse retulit “sex libellos Sancti Hilarii Pictaviensis, quos de græco Origenis in latinum vertit; sed non omnia, subdit, secundum ordinem libri Sancti Job. exposuit. „ Quid, amabo, hoc testimonio clarior? Nec enim cum Petro Coutantio [2] suspicari licet, Hispanum Antistitem fuisse deceptum ementita codicis inscriptione; neque juvat Hieronymum opponere, qui numquam Hilario ur interpreti adscripsit libellos in Jobum, sed homilias, sive tractatus. Nam illas Doctoris Alexandrini homilias, quas jampridem se vertisse in latinam linguam idem Hieronymus (3) affirmat, in celebri ad Macarium Prologo Rufinus noster (4) appellavit libellos generali nomine, quod hujusmodi opuscula complectitur: Quare & ipse Doctor Maximus suam ad Sanctum Damasum Pontificem Epistolam cum libelli, tum tractatus nomine citat libro III. Comment. in Iсаiam his verbis: “ De hac visione ante annos triginta . . . scio me brevem dictasse subitumque tractatum. „ & paulo post: “ Ad illum itaque libellum mitto lectorem. „ Ex hoc igitur capite non est cur suspicemur pseudepigraphum fuisse codicem, quo Licinianus utebatur.

Neque plus negotii facessit opinio de stellis ratione præditis, quæ Episcopi illius oculos adeo offendit in latina interpretatione Homiliarum in Jobum, ut non satis mirari se profiteretur, quî vir doctissimus & Sanctus has Origenis nærias transtulerit. Id revera in tractatibus ad populum habitis, dum Jobi librum explicaret, Adamantium docuisse colligimus ex Hieronymi Epistola LXI. num. 2. ubi hæc habet: “ de stellis caloque disputans quadam locutus est, quæ Ecclesia non recipit, nempe rationem iis tribuens, & arbitrii libertatem. Sed hac de re ipsummet Origenem audire juvat in

mo-

(1) Spicil. Tom. I. pag. 309. vet. edit. noviss. vero Tom. III. pag. 314.

(2) V. Præfat. Gen. num. 25. 29. & in Psalm. CXLVIII. num. 5.

(3) lib. II. contra Rufin. num. 14. de Vir. Illustr. Cap. ult. atque alibi.

(4) Vid. Origen. Opera Tom. IV. pag. 46. edit. Ben.

monumentis illis, quæ supersunt. Primus qui forte fese offerit, locus extat lib. V. contra Celsum num. 10. οὐ γάρ (inquit) τὸ μὲν αἰσθητὸν φῶς αὐτῶν ἔργον ἐσὶ τὰ τῶν πάντων δημιουργῶν. τὸ δὲ νοητὸν τάχα οὐ αὐτῶν, οὐ ἐν αὐτοῖς αὐτεξετίσ εἰληλυθός. Quæ ita reddi debent. “Sensibile enim eorum lumen illius opus est, qui omnia condidit: lumen vero mentis forsan & eorumdem opus est, atque ex libera, quæ illis inest, voluntate profectum.” His gemina sunt quæ docet in libro de Oratione num. 7. Quod enim commentus est ad prædestinationis nodum solvendum, fingens nimirum animas hominum ex anteactæ vitæ meritis vel in honorem, vel in contumeliam induere corpora; idem omnino de sole ac stellis pronunciat: ἐκάς αὐτῶν τοιαύτην φυχὴν ὑπὸ τὰς λόγις κατηρτισμένην, οὐ περὶ (legendum παρὰ) τὴν αὐτῶν αἰτίαν ἔχοντων, οὐ τοιάτῳ σώματι αἰθερίῳ οὐ καθαροτάτῳ χρωμένων. “Cum singula suo etiam merito animam ejusmodi ratione ornatam habeant, atque aethereo & purissimo corpore utantur.” Verba autem illa, οὐ παρὰ τὴν αὐτῶν αἰτίαν, quæ dissimulat interpres, explicanda sunt, ut fecimus, ex eodem libro de Oratione num. 19. ubi ait animalibus numquam deesse libertatem, οὐ παρὰ τὴν αὐτῶν αἰτίαν, suoque merito vel sumnum assequi virtutis apicem, vel in omnia sclera labi. Hæc eadem loquendi ratio occurrit lib. III. contra Celsum num. 70. ὥσπερ & δύναται τὸ πεφυκός γλυκύνειν τῷ γλυκῷ τυγχάνειν, πικράζειν (adde 8) παρὰ τὴν αὐτὴν μόνην αἰτίαν. δὲ τὸ πεφυκός φωτίζειν, τῷ εἶναι φῶς, σκοτίζειν, δὲ τῷ οὐ Θεός δύναται ἀδικεῖν. Quorum hic est, sensus: “Quemadmodum ea quæ natura sua ita comparata sunt, ut res alias dulces efficiant, amaras reddere nequeant, non suæ quidem voluntatis electione, sed quod nativa dulcedine præditæ sint: neque id offundere tenebras ullo modo potest, quod suapte natura lumen est; ita ne Deus quidem injuste agere.” Tandem lib. IV. num. 70. ὁ ἀπόστολος τῷ Ἰητῷ παῦλος, διδάσκων ἡμᾶς συνοίσαι μὲν τῇ χρείᾳ τὰς πάντος οὐ τὰς φαυλοτάτας, παρ' ἐαυτάς δὲ ἔσεσθι ἐν τοῖς ἀπεύκτοις, χρησιμοτάτας δὲ ἔσεσθαι οὐ σπεδαλιοτάτας τῷ πάντι, παρ' ἐκυτῶν αἰτίαν ἐν καλλίσῃ χώρᾳ ταχθησομένας, οὐ τ. λ. Cujus loci interpretatio cum medicam manum pariter postulet, nostram adhibemus. “Apostolus Iesu

Christi Paulus nos edocens Universi utilitati servire posse vel nequissimos, sua tamen culpa vilioribus ministeriis addicendos: vicissim autem maximam utilitatem afferre eos, qui virtutem colunt, atque idcirco pro meritis in sede honestissima locandos; in magna domo, inquit, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea &c. „ Videsis quoque lib. VI. num. 44: et Commentarium in Genesim Tomo I. Operum pag. 6. præsertim vero Justini Martyris Apologiam I. num. 14. una cum doctissimi monachi Benedictini annotatione ad hunc locum. Sed jam illuc redeat oratio, unde paulisper digressa est. Solem igitur atque astra mente donare placuit Origini; quod apertissime sententiam hanc tradi existimaret in sacris libris, ut ex. gr. Psalmo CXLVIII. ubi Sol & Luna, & Stellæ omnes excitantur ad laudes Deo deferendas. Latorem vero fabulandi campum dedisse videtur Jobi liber (1) ad eum locum, ubi legitur: *ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & Celi non sunt mundi in conspectu ejus;* & rursus ad illa verba: *Luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* His enim præsertim abutitur lib. I. de Principiis Cap. VII. ita differens: “ *Stellæ cum tanto ordine ac tanta ratione moveantur ut nullo prorsus cursu earum aliquando visus sit impeditus* ( forte legendum: *ut in nullo prorsus casu earum aliquando cursus sit impeditus*); quomodo non est ultra omnem stoliditatem tantum ordinem, tantamque disciplinæ ac rationis observantiam dicere ab irrationabilibus exigiri vel expleri? Apud Hieremiam sive etiam Regina cœli Luna esse nominatur. Quod si animantes sunt stellæ, & rationales animantes, sine dubio videbitur inter eas & profectus aliquis, & decessus. Hoc enim, quod ait Job, stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, talem mibi quemdam videtur indicare intellectum. „ Cum igitur hæc omnia satis evincant, Originem hanc de stellis errorem cum alibi, tum præsertim in commentariis ad librum Jobi tradidisse; merito ejus nomine inscriptæ erant sex illæ Homiliae, sive libelli, quos in Epistola ad Gregorium Magnum habere se testatur Licinius.

III.

---

(1) Cap. XV. vers. 15. & Cap. XXV. vers. 5.

III. Sed Petrus Coutantius reponit hoc maxime obstat, ne versionem putida fabella adspersam Hilario tribuamus; quem Hieronymus passim affirmat noxiis quibusque amputatis utilia transtulisse; cujusve libros, ad Lætam scribens Virginem ejus filiam hortatur ut *inoffenso decurrat pede*. An vero consilium hoc dedisset vir prudentissimus, qui nosset illius opera non omnino expurgata ac detersa Origenianis masculis, atque hac præsertim, quam in Epistola ad Vigilantium notat in ejusdem Origenis tractatibus in Jobum? Ut huic difficultati satisfaciam, quærendum puto, an Hilarius sive ut Origenis imitator, sive ut interpres, ita noxia quæque prætermiserit, ut nihil superesset, quod Ecclesia minus probaret. Nova prorsus hac de re & singularis est opinio Muratorii in libro *de Paradiso contra Burnetum* Cap. XIII. “*Sunt, inquit vir celeerrimus, qui putant a Sancto Hieronymo scribente, Hilarii libros inoffenso decurrat pede, indicari puritatem doctrinae illius. Mibi potius creditur innui tenebrosa non raro & male cohærens, & intricata illius oratio, quæ vel peritioribus negotiis non leve faceſſit.*”, Quod Sancti Præfus' stilum attinet, idem judicium protulerat Hieronymus epistola LVIII. num. 10. Gallicano, scilicet, cothurno attolli, & cum Gracie floribus adornetur, longis interdum periodis involvi; atque adeo a lectione simpliciorum fratrum procul esse. Quod sane judicium cum ipsa experientia confirmet, mirari subit, quia Balleriniis fratribus (1) illius stilus visus sit planus & facilis, & fere concisus. Sed quæſtione hac dimissa, quæ minoris est momenti, statuendum est tamquam certum, libros Hilarii ex Hieronymi sententia absque offensione ulla nedum a peritioribus, verum etiam a sacra Virgine Læta filia perlegi potuisse. Hic enim obvius est sensus verborum, ut paulo post dicemus. Sed non inde sequitur, ita pueros esse, ut ne levi quidem macula adspersi videantur. Nonne enim Vigilantio & Rufino reponit Sanctus Doctor, se Origenis malis in bonorum interpretatione sublatis fecisse ut Latini bona illius noscent, mala ignorarent? Hæc autem si ita ad vivum refeces, ut nihil

(1) Ad. S. Zenonis Opera Dissert. I. Cap. I. §. II. pag. XXXII.

hil furfuris reliquum sit in versionibus Hieronymianis; actum erit de Homiliis in Lucam, quas interpreti Sanctissimo iure vindicat Joannes Pearsonius (1) ab inanibus Dallæi conjecturis. Quo vero sensu purgatos omnino fuisse ab Hilario interprete libros Origenis; quo sensu idipsum se fecisse ad illius exemplum Hieronymus profiteatur, declarat lib. II. in Rufinum num. 23. referens se, dum adhuc esset adolescentis, homilias dumtaxat ad populum habitas transtulisse; “*in quibus non tanta scandalata tenebantur, nullis præjudicans ex his, quæ probantur, illa suscipere, quæ manifeste heretica sunt.*” Non omni scilicet errore deterfas (ut in iis constat, quas selegit vertendas homilias in Lucam) latinis hominibus dederat; sed hoc operum genus aptius visum est ad pensum hoc amicorum *causa aggrediendum*, quod minora scandala offerret. Hoc idem luculenter confirmat in Epistola ad Pammachium & Oceanum (2), ad quos scribit, neminem ante illam ætatem libros Origenis de Resurrectione, de Principiis, Stromata, & Tomos ausum fuisse latinitate donare; se vero, quamquam multis petitibus, noluisse; ne mala illius etiam latinis nota faceret. Cum enim hujus generis scripta nihil, aut parum bonæ frugis haberent, errores vero plurimos; nullam sibi laudem, sed ignominiam interpretes quæsivissent. Quamobrem Rufinum arguit summæ impudentiæ ac temeritatis ob susceptam interpretationem librorum de Principiis quos satius erat a nostris ignorari. “*Vis enim, alibi inquit (3), Origenem in latinum vertere? Habet multas homilias ejus, & tomos, in quibus moralis tractatur locus, & scripturarum panduntur arcana. Hæc interpretare: hæc rogantibus tribue. Quid primus labor tuus incipit ab infamia?*” Quo loco observari velim Sanctum Doctorem Rufino indulgere, ut præter homilias, si lubet, etiam tomis latine redendis incumbat: quamquam in Epistola ad Pammachium & Oceanum mox laudata *tomos* rejecerit ad eam librorum classem, qui vix ullam nostris utilitatem, detrimenti vero pluri-

(1) Vindic. Ignat. Par. I. Cap. VII. Vid. PP. Apost. Vol. II. Par. II. pag. 515.

(2) in Edit. Vallars. LXXXIV. num. 7.

(3) in Ruf. lib. II. num. 14.

rimum afferre poterant. Sibi tamen non contradicit Vir Sanctissimus. Nam cum alibi (1) scribat non omnes omnino totos Origenis, sed omnes propemodum erroribus plenos esse; quosdam saltem ut ut pauciores numero referre potuit ad classem librorum si non optimæ, saltem melioris notæ, qui ex secundo Alexandrini Doctoris calamo prodierunt. Quare licet in Epistola ad Pammachium & Oceanum codices Veronensis & Regius (2) non exhibeant τόμους; nihil tamen censeo immutandum, cum utriusque loci collatione facta omnes non rejiciendos esse, atque adeo quosdam utcumque ferri posse Hieronymo visum sit. Illud certe constat mitius eundem sensisse de Homiliis, quarum potissimum erat scopus auditorum animos ad pietatem inflammare: Idecirco flagitantibus amicis non paucas ipsem latinas fecit, hac tamen cautione adhibita, ut loca quædam præteriret, aut emendaret, cætera vero pii lectors expenderent juxta illud Apostoli monitum, omnia probate; quod bonum est tenete. Atque id quidem, uti diximus, gloriatur se fecisse secutus Hilarii morem, de quo rursus agens in Rufinum (3) qui duas maxime excusationes afferebat, se nimirum alicubi plusquam interpretem ea detruncasse, quæ vel ab Hæreticis, vel ab invidis Adamantii nomini supposita fuerant: alibi vero meri interpretis officio functum, quin ea probaret, quæ falsa & noxia videbantur: "recte ista dices (reponit) si libri tui περὶ ἀρχῶν Præfatiunculam non haberent. Quod & Hilarius in transferendis ejus homiliis fecit, ut & bona & mala non interpreti, sed suo imputarentur auctori: si non dixisses amputasse te pessima, & optima reliquise, utcumque de luto evaderes. ,,, Quamquam cætera, quæ collegimus, Hieronymi testimonia deessent, vel ex hoc uno discimus primo Hilarium Origeniana Opera fuisse interpretatum. Secundo illa prudenter selegisse, quæ minoribus foedabantur maculis. Tertio nihil præfari consueuisse de auctoris laudibus, ut omne penes auctorem ipsum, nullum penes interpretem crimen esset; si quid nota dignum in lati-

na

(1) in Rufin. lib. II. num. 19.

(2) Vid. not. a Operum Tom. I. pag. 525.

(3) Lib. III. num. 14.

na versione lectores animadverterent. Quare ut propositæ quæstioni finem imponam, elogium illud, *Hilarii libros inoffenso decurrat pede*, accipiendum est de summa doctrinæ ejus, quæ ad fidem & mores spectat: quam Doctor Maximus laudat, nihil veritus maculis quibusdam, quæ fortassis in tractibus e græco redditis supererant, offendit posse Virginem Lætæ filiam. Hanc sane ibidem hortatur, ut Sancti Cypriani opuscula semper in manibus teneat, Sancti Martyris, nec non Athanasii, ac Hilarii scripta distinguens ab illis Ecclesiæ scriptoribus, quos ita legi monet, ut magis judicandi sint, quam sequendi. An vero sacram virginem absque ullo delectu sequi jussit quacumque docuerat illustris Carthaginensis Episcopus? Nihil minus. Verum probe sciens Cyprianum (1) totum esse in exhortatione virtutis, ejusdem n̄avos, veluti egregio corpore inspersos, neglexit; nec enim rem se dignam Maximus Doctor existimabat illorum errores prodere, quorum admirabatur ingenia: quod invitus demum fecit, non tam sui, quam Catholicae veritatis defendendæ studio succensus. Uno verbo: quamquam Origenis in Jobum homilia a Sancto Hilario latine redditæ fabellam de stellis ratione & arbitrio instructis [ ut Liciniani codex fidem facit] venditarent; hæc, aliæve fortassis hujusmodi n̄enix in illis præsertim libris, quorum Pictaviensis Episcopus auctor non erat, neque laudator, sed nudus interpres, nihil obstabant, quin clarissimi Antistitis opera, Hieronymi judicio, sine ullo offensionis periculo legerentur.

IV. Hæc tamen Hilarii interpretatio (quod ipsum accedit primigenio textui) ætatis injuriam non effugit, unico excepto fragmento, quod (2) nobis servavit Sanctus Augustinus lib. II. contra Julianum. Nec enim audiendi sunt qui suspicantur (3) Hilario interpreti adscribi posse libros in Jobum inter Origenis opera editos a Genebrardo. Hoc jamdiu argumentum illustrarunt viri doctissimi. Sed novam mihi eamdemque invictam rationem addere liceat, cur hoc in Jobum opus,

(1) Epist. LVIII. num. 10.

(2) Vid. Origenis Opera Tom. II. pag. 500. Edit. Bea.

(3) Vid. Coutant, Præfat. gen. num. 25.

opus, quod latine tantum extat, nec Origenis fœtus haberi possit, nec Hilario tribui ut interpreti; simul vero oblatâ opportunitate in medium proferam quid mihi de auctore hoc anonymo, ejusque in Jobum libris sentiendum esse videatur. Is enim, ut hoc primo loco observem, ad illa verba, *cum fierent stellæ, laudaverunt me voce magna Angeli Dei,* hæc habet, quæ omnino pugnant cum Origeniano dogmate, & genuina Hilarii versione. “*Tunc, inquit (1), laudaverunt quando inanima stellæ factæ sunt: multo magis tunc laudaverunt, quando animata & sensata stellæ factæ sunt, idest, animæ Sanctorum, atque justorum; de quibus stellis dicendum est:* stella enim a stella differt in claritate; ita & resurrectio mortuorum: & alibi: fulgebunt justi ut luminaria Cæli, & sicut stellæ in perpetuum. „ Quæ sane explicatio, quemadmodum vel rudiores intelligunt, non modo non redolet Origenis hac de re sententiam, sed omnino illi adversatur.

Quod vero Daniel Huetius (2), Guillelmus Cave (3), Petrus Coutantius (4), Carolus de la Rue (5) uno ore contendunt, hoc Commentarium Ariana labe infectum esse; adeoque perperam ejus versionem Hilarii nomine inscribi, illustris, si quis alias, Nicænæ fidei confessoris & vindicis; id (audacter dicam) nullo prorsus nititur fundamento. Quin immo locus ille, quem in crimen vocant, statim ac fœdum, quo laborat, mendum expungatur, rectam nobis offert scriptoris anonymi doctrinam de òmōsticō Trinitate. “*Tria cornua, inquit (6), fecit Diabolus in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triumque Deorum heresis, que universum orbem terræ in modum tenebrarum replevit: quæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aliquando tamquam tres Deos colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Graecorum lingua memoratur, Triada vel homousion. „ Vox illa aliquando glossema est ab imperita manu additum, ob pravam lectionem non-*

H num-

(1) lib. I. Origen. Tom. II. pag. 861.

(2) In Append. Lib. III. Origenian. num. 2. Tom. V. noviss. edit.

(3) Prolegom. ad Hist. Litt. sect. IV. Regula I.

(4) Iu Hilar. Præfat. Gen. num. 25.

(5) Origen. Oper. Tom. II. pag. 850.

(6) Ibidem pag. 870.

numquam, cuius loco reponi velim, non tamquam. Particula  
vel, quæ præmitti debet, extra locum rejecta est inter Tri-  
da (vel) homousion. Loquitur igitur Anonymus de secta,  
quæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum tamquam tres co-  
lit, non tanquam unum adorat, vel, quemadmodum Græcorum  
lingua memoratur, Triada homousion. Sed audire præstat quæ  
subdit Anonymus. “Istam ergo Trinitatis sectam & hæresim  
atque infidelitatem jam olim de longe designans versutissimus il-  
le Diabolus tria cornua misit ad Job deprædandum. Sic nam-  
que etiamnunc memorata trionyma hæresis præsertim prædatur at-  
que expugnat Ecclesiam. „ His porro verbis antiquus scriptor,  
si accurate expendantur, non Fidem Nicænam ejusque affer-  
tores fugillat, sed Arianos, quorum impietas vi ac dolo quam  
latissime per orbem universum olim propagata fuerat. Simul  
vero insectatur obscuriorem Tritheitarum sectam, quam sacer-  
culo VI. condidit Joannes Philoponus. Quamquam enim ali-  
quod discrimin inter veteres Arianos, ac Tritheitas Anony-  
mo synchronos statuendum sit; horum tamen error a Nice-  
phoro (1) eleganter appellatur Ariani dogmatis rivulus. Im-  
pia scilicet Arii doctrina, quæ universum orbem jampridem  
tenebris oppleverat, rursus Philopono seu Diabolo duce, tri-  
plici velut agmine bellum Ecclesiæ inferebat quo tempore  
vir pius in explicando Jobi volumine totus erat. Nec enim  
(quod observari velim) Trinitatis consubstantialis fidem  
cum triplici Diaboli cornu comparat Anonymus, sed indu-  
ctam sua ætate a Philopono trium Deorum, seu triplicis Dei-  
tatis hæresim. Quare locum illum, quem inepte vertit latinus  
interpres, istam ergo Trinitatis sectam atque hæresim &c. ut ex  
integro contextu liquet, ita restituimus: Hanc igitur tripli-  
cis Dietatis hæresim; cum græcus scriptor heic usus non fue-  
rit voce τριάδος, sed τριθεῖας: quæ voces quam longo inter-  
vallo inter se distent, cum per se clarum est, tum luculen-  
tissime docet Sophronius Hierosolymitanus (2) in Epistola ad  
Sergium his verbis: “Numeratur beata Trinitas (τριάς) non  
essen-

(1) Hist. Eccl. lib. XVIII. Cap. L.

(2) V. Acta Concil. VI. Ecumenici Tom. VII. Concil. Labb. Coleti pag. 891.  
et seq.

essentiis aut naturis , aut diversi deitatibus , tribusve dominationibus , abfit , sicut insaniunt Ariani , & rabide nuper latrans triplicis deitatis ( τριθεῖας ) antesignani ; qui essentias tres , totidemque naturas , ac dominatus , tresve similiter deitates inaniter prædicant . , Tritheitæ igitur illi sunt , quibus auctor vitio vertit , quod Patrem & Filium & Spiritum Sanctum , tamquam tres Deos , non tamquam unum venerentur ; nec fidem Trinitatis , quam unius essentia Catholica profitetur Ecclesia , sed impiam τριθεῖας hæresim confert cum triplici cornu adversus patientissimum virum a Satana immisso . Scriptoris hujus orthodoxiam pluribus confirmare possemus ; sed unum vel alterum testimonium addere sufficiet , quo magis constet locum mox allatum vitio laborare , atque eam poscere emendationem quam paucis immutatis adhibuimus . Haud enim Arianum hominem credibile est scribere quæ ibidem leguntur , nimirum sectas omnes (1) adversus Ecclesiæ unitatem nunquam non dimicare , sed irrito conatu . Firmum enim , inquit , fundamentum Dei stabit ; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam . Nil vero luculentius iis , quibus explicat , cur Job , aliique sancti viri inter dolores & tribulationes conquesti sint “ Cum & ipse , ait (2) , qui omnium Sanctorum rex & conditor Cœli ac terræ , & mediator Dei & hominum Jesus Christus filius Dei vivi , cum humano se indueret corpore , cum corruptibilem sibi circumdaret formam , cum iret ad passionem atque crucem , questus est dicens : Pater , si fieri potest , transeat a me calix iste , hoc est , hæc passio . Et cœpit trepidare & mœstus esse . Non quia trepidaverit Deitas , sed quia carnis infirmitatem ostendit . , Nihil , inquam , his luculentius . Nam uti docet Petavius (3) , Nicæna fidei hostes , ut ejusdem cum Patre substantia Filium negarent , qualecumque illam divinitatem , quam ei tribuebant , tristitia , doloris , ac mortis participem fateri cogebantur . Sed hac de re sermo recurret Cap. sequenti .

(1) Lib. I. pag. 870. col. 1. F.

(2) Lib. III. pag. 901. col. 1.

(3) De Incarnat. lib. X. cap. V. num. 1.

Præter hunc locum, quem detersimus, ut nemini deinceps fucum facere possit, displicet viris doctissimis, quod *Anonymus* (1) maxime celebret nomen *Luciani Presbyteri Antiocheni*, quem suarum partium fuisse Ariani gloriantur. *Eius* enim auditor fuerat Arius ipse, qui *Eusebium Nicomedensem* appellat *conlucianistam* (2), quippe qui ex eadem schola prodierat. Ad hæc illius sectæ homines jactabant se reperisse *Luciani* manu descriptam fidei expositionem, in Antiocheno Concilio promulgatam (3). Et quod maximi est momenti, Alexander Episcopus Alexandrinus in Epistola celeberrima ad cognominem Constantinopolitanum Episcopum (4) narrat *Lucianum Paulo Samosateno*, qui semina jecit Ariana perfidiæ, addictum, extra communionem trium Episcoporum mansisse plures annos. Hæc illi. Sed ut a primo ordinamur, ultro demus *Lucianum Arii*, & *Eusebii præceptorem* fuisse. Quid inde consequi putant? Nonne *Tatianus sanctissima Justini Martyris philosophia imbutus*, post ejus mortem (5) proprium characterem doctrinæ constituit, atque erroris magister haberi maluit, quam discipulus veritatis? Quod vero addunt de *Symbolo Antiocheno*, fabella est plane digna ingenio Ariorum. *Sozomenus* postquam retulit, quod jactabant Ariani, formulam scilicet se reperisse manu descriptam *Luciani Antiocheni*, statim subdit, se nescire, utrum istud vere dixerint, an conscriptionem suam auctoritate martyris confirmare voluerint. Sed quod historicum latuit, nobis plane compertum est. *Sanctus enim Athanasius* in libro de *Synodo* (6) non obscure indicat formulæ hujus, quam secundam vocat, eos ipsos, qui *Synodo* interfuerunt, auctores extitisse, cum eos prioris péniteret, ac nova quadam & plura excogitassent. Et *Acacium* in primis refellit (7), *Eusebium*, & *Eudoxium* hoc argumento: “*Si enim non refugitis expositam in*

En-

(1) Lib. II. pag. 886.

(2) *Theodoret. Hist. Eccl. lib. I. Cap. V.*(3) *Sozomen. Hist. Eccl. Lib. III. Cap. V.*(4) *Apud Theodoretum l. c.*(5) *S. Irenæus adv. hæref. lib. I. Cap. XXVII. num. 1.*

(6) V. num. 23. Tom. I. Part. II. pag. 733

(7) *Ibidem num. 36. 37. 38. pag. 752. et seq.*

*Encanis fidem, in eaque scriptum est, Filium esse substantię Patris sine discrepantia imaginem, cur in Isauria rejicitis ὄμοσιον? „Quin & Acacius ipse (1) non Luciano, sed Asterio sophistę vaferimo, qui Synodo intererat, tum verba hæc inconvertibilem & immutabilem, tum alia pleraque attribuit. Hoc enim erat Arianorum studium, variis, quæ in dies cudebant, fidei Symbolis se Catholicos venditare, quamquam Dei Filium Patri consubstantiale profiteri nollent. Itaque in altera hac, quæ Luciano perperam adscribitur, expositione plura congeserunt, veluti Nicænæ Fidei additamenta “totum (2) de toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, regem de rege, dominum de domino, verbum, sapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, resurrectionem, pastorem, januam, inconvertibilem & immutabilem, divinitatis, essentiæ & virtutis & gloriae incommutabilem imaginem, primum editum totius creaturæ, qui semper fuit in principio apud Deum Verbum Deus. „ Tanta hæc nominum pompa suos prodit auctores, qui multa de industria Dei Filio tribuunt, ut (3) per intempestivam ostentationem ac nimiam loquacitatem simplices seducant, & suam possint hæresim occultare. Hoc de Antiocheno aliisve Eusebianorum formulis judicium profert qui eos intus & in cute noverrat, Magnus Athanasius: qui cum nullibi referat eos jactare professionem hanc Fidei a Luciano Martyre conditam fuisse; merito colligimus id deinceps ab illis adinventum, ut suas verborum ambages tanti viri auctoritate excusarent, erroresque defenderent. Commentum hoc periinde latuit alterum Nicænæ Fidei propugnatorem Hilarium. Celebris est inter illius opera liber de Synodis, quem, ut pluribus docet Coutantius [4], vir sanctissimus edidit eo potissimum consilio, ut semiarianos, qui Anomœorum blasphemias execrabantur, ad veritatem revocaret. Quamquam enim illos ut Catholicos habuerit numquam; plura tamen benignè interpretatus est, quæ in eorum formulis rectum sensum offerre quodam modo possent.*

(1) Apud Sanctum Epiphanium Hær. LXXII. num. 6.

(2) Apud S. Hilarium de Synodis num. 29. Tom. II. pag. 478.

(3) De Synodis num. 31. pag. 748.

(4) Praefat. ad hunc lib. Tom. II. pag. 447. et seq.

sent. Antiochenam igitur fidem describens, mitius explicat eum locum, ubi (1) legitur Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nominibus innui “propriam uniuscujusque substantiam, & ordinem & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum.” Quid ad hæc Pictaviensis Episcopus? ea nimirum dicta fuisse adversus eam sectam, “quæ post sanctam Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere... Et Pater solus atque unus idem atque ipse haberet & Spiritus Sancti nomen, & Filii...” De hac igitur expositione fidei loquitur, uti elucubrata post Nicænam Synodum; ejusque auctores utcumque defendit, Episcopos scilicet Antiochiz coactos, quin confugiat ad Lucianum olim Ecclesiz illius Presbyterum, qui eam sua manu descriptam reliquisse ferebatur. Haud opus erat Hilario ad excusandos Antiochenos aequanimitatem legentium (2) postulare, ne in illos temere sententiam dicerent, antequam genuinam conscriptæ fidei sensum, & sinceram auctorum mentem ipse apèret. Sed optima excusatio atque defensio hæc erat: Antiochenos Patres non auctores esse novi cujusdam Symboli; sed subscriptissime illi quod jamdiu Lucianus Martyr sua manu descriptum reliquerat. Quæ omnia, ni mea me fallit opinio, satis evincunt, Athanasii, atque Hilarii ævo nihil de adoptato ab Antiochenis Luciani Symbolo vulgatum fuisse. Omnium primus post annos fere centum historiolam hanc, uti diximus, Sozomenus posteritati commendare voluit, non tamen dissimulans, quam suspecti illi essent, ex quorum officina prodierat. Primus, inquam, Sozomenus fabellæ hujus meminit. Dialogos enim de Sancta Trinitate, quorum auctor disputantes inducens Orthodoxum, & Macedonianum (3) laudat expositionem Luciani, perperam Athanasii nomine insigniri omnes consentiunt; nulli vero magis convenire Combefsius ostendit, quam Sancto Maximo, quem septimo dumtaxat Ecclesiæ saeculo clariusse notum est. Igitur quærenti Macedoniano, an Orthodoxus subscribat τὴν ἐνδέσει Luciani, & an

(1) num. 29. et seq. Tom. II. pag. 480.

(2) Ibidem num. 32. pag. 480. B. C.

(3) V. Dial. III. inter Opera S. Athanas. Tom. II. pag. 107. Ben. ed.

an quidquam in ea damnet, Orthodoxus reponit se additamentum illud rejicere quod illius symmystæ fecerant expositioni Fidei a martyre editæ; *idque possum*, inquit, *demonstrare a vobis factum esse contra ejus sententiam*. Id non negat hæreticus, quin potius concedit; nam vicissim nostris objicit additionem factam Nicæno Symbolo; nimirum a Patribus Concilii secundi Æcumenici anno CCCLXXXI. Mox ambo consentiunt in Luciane scriptum: ὁ νιὸς τῆς Θεᾶς ψτίας καὶ βλῆψ, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης ἀπαράλλακτος εἰκὼν, Filium nempe esse Dei substantię, consilii, potentię, & gloria sine dissimilitudine (seu Hilario interprete incommutabilem) imaginem. Atque hinc argumentum sumunt disputandi, an Filius ex Luciani sententia sit ejusdem cum Patre substantię, vel tantummodo similis. Clarum est quamdam illi adscribi fidei formulam, in qua verba allata legebantur; sed interpolatam ab Arianis fuisse, sive addita nonnulla quæ cum ea conciliari nequeunt. Atqui in Antiochenæ Synodi expositione invenire est pericoppen illam, qua (1) Dei Filius dicitur substantię, consilii, potestatis & gloria non dissimilis imago ἀπαράλλακτος εἰκὼν. Hanc igitur decerpitam fuisse colligimus ex aliquo Luciani libello de Fide; nec enim unum dumtaxat conscriperat Sancto Hieronymo teste in commentario de Viris Illustribus Cap. LXXVII. Quemadmodum etiam ex Origene, ut jam doctissimus Huetius animadvertisit (2), Antiochenæ formulæ artifices mutuati sunt ea, quæ paullo post subdunt obtentu rejiciendi Sabelianorum hæresim, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum Sanctum *hypostasi quidem tria esse, concordia vero unum*: Appendix vero, quam Orthodoxus pugnare ait cum Luciani Symbolo, est proculdubio anathema, cui devoventur in Antiocheno Concilio qui dixerint (3) Filium esse κτίσμα ὡς ἐν τῶν κτισμάτων καὶ τὰ creaturam, ut unam ex rebus creatis, aut genimen, ut unum ex genitis, aut facturam, ut unam ex factis.

Nam

(1) Vid. S. Athan. de Synodis num. 23. Tom. I. Part. II. pag. 736. et S. Hilar. de Synodis num. 29.

(2) Origenian. Lib. II. Quæst. II. num. III. Operum Tom. V. pag. 116. Pen. ed.

(3) Apud S. Athanasium De Synodis num. 23. Tom. I. Part. II. pag. 736.

Nam & Arii Commilitones Alexandro Episcopo suo scripserant (1) : κτίσμα ἔστιν, ἀλλ' ὅχ τὸς ἐν τῶν κτισμάτων : ποίημα ἔστιν, ἀλλ' ὅχ τὸς ἐν τῶν ποιημάτων : γέννημα ἔστιν, ἀλλ' ὅχ τὸς ἐν τῶν γεννημάτων. *Created res est, sed non ut una e rebus creatis: facta res est, sed non ut una e rebus factis: genita res est, sed non ut una e rebus genitis.* Sed hoc verborum fuso, ut observat magnus Athanasius, impia hæresis incassum se occultare studuit. Quamquam enim concederent, Dei Filium rebus creatis comparatum, illis excellere; nihilo tamen minus esse κτίσμα, ποίημα, η γέννημα (2) aiebant; quippe & inter eas res, quæ reapse ac proprie creatæ sunt, aliæ sunt alii præstantiores (stella enim a stella differt in claritate) omnes tamen creaturæ sunt. Eadem, ac usi fuerant sectæ proceres, simulatione utitur Concilium Antiochenum, dum anathemate ferit eos, qui Dei Filium cæteris rebus a Deo conditis præstantiorem negarent, quin tamen e rerum conditarum censu illum eximens diserte profiteatur genitum, non factum, per quem omnia facta sunt. Sed de his satis. Supereft nunc dicendum de Alexandri Episcopi testimonio, quod tertio opponebant: Lucianum scilicet, quod addictus fuisset Paulo Samosateno, qui Arianæ perfidæ semina jecit, extra communionem trium Episcoporum mansisse plures annos. Id nos ultro concedimus. Non tamen inde consequitur, ut contendit Valerius (3), Antiochenam Sedem post ejectum Samosatenum tenentibus (4) Domno, Timæo, & Cyrillo Lucianum ejusdem Ecclesiæ presbyterum schisma fecisse, collectas seorsum agentem; sed ἀποσυνάγωγος ἐμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνοις. Atqui ἀποσυνάγωγος non dicitur qui sponte sua recedens ab Ecclesiæ atque Episcopi sui communione, seorsum collectas celebrat; sed proprie ac vere dicitur is, qui Præsidum auctoritate extra conventum pellitur: cuius rei exemplum illustre habemus Joannis Cap. IX. v. 22. ubi legimus conspi-  
rasse

(1) Ibidem num. 16. pag. 719. et Orat. II. contra Arianos num. 19. Tom. I. Par. I. pag. 486.

(2) Quo sensu γέννημα acciperent Arianæ, explicat idem S. Athanasius pag. 487. et pag. 488.

(3) Annot. ad Theodorum H. E. Lib. I. Cap. IV.

(4) Euseb. H. E. Lib. VII. Cap. XXXI.

rasse Judæos, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum, ἀποστολάγωγος γένηται, extra synagogam fieret. Hujus itaque verbi vim melius reddiderunt antiquiores interpretes, quos sequitur Magnus Annalium parens ad annum CCCXVIII. num. 75. referens Lucianum a tribus Episcopis sibi continue succendentibus ex Ecclesia ejectum fuisse. Cæterum ipse Valerius ultro concedit, tandem aliquando virum Sanctissimum a Tyranno Episcopo Cyrilli successore in communionem receptum. Ecclesiæ enim Antiochenæ Tyrannus jam inde præerat, cum Diocletiani & Maximiani Imperatorum feralia edicta proposita fuerunt & promulgata; nam Episcopi hujus erat, ut Eusebius testatur (1), Ecclesiarum vastatio maxime viguit. Lucianus autem non amplius ἀποστολάγωγος vixit, usque dum persecutione Maximini jussu recrudescente post exquisitissimos cruciatus Nicomediae Christi Martyr occubuit. Quidquid igitur Arianorum factio de eo venditaverit, certum est martyrii corona donatum fuisse in Ecclesiæ communione. Atque adeo mirum non est, quod Anonymus in Jobum viri cum Sanctitate tum eruditione illustris laudes persequatur; quibus eum cumulant Sancti Patres, aliique scriptores Catholici apud laudatum Baronium, Bollandum, Ruyartium, Tillemontium.

Floruit igitur Anonymus saeculo Ecclesiæ sexto; atque omnino purus Arianæ labis, Philoponi hæresim tunc temporis grassantem insectabatur. Quibus positis, suspicari licet commentarium esse reddendum Anastasio Sinaitæ Patriarchæ Antiocheno, qui illa tempestate magnum eximiæ morum sanctitatis atque doctrinæ nomen adeptus est. Cui magis enim, quam Ecclesiæ illius Antistiti convenienter laudes Luciani, quem ibidem Presbyteri gradu functum, peculiari cultu Antiocheni (2) prosequabantur? Idem profecto calamum exercuit (3) adversus eos, qui dicunt tres essentias in divinis; singillatim vero Philoponi librum, cui titulus erat, διατητής, sive arbiter,

(1) Euseb. Lib. IX. Cap. IV. et VI. Vid. Annot. Vales.

(2) V. Homil. S. Jo. Chrysostomi Operum Tom. I. pag. 524. Montf.

(3) Fabric. Bibl. Græc. Tom. IX. seu lib. V. Par. V. Cap. V. num. 18.

biter, confutavit (1): is inquam; nisi unum ab altero Anastasio ejusdem Sedis Patriarcha distinguere placeat, & sua cuique scripta tribuere; quod nobis perinde est, cum uterque (2) ipsa illa ætate floruerit. Auctori præterea librorum in Job, ut jam observavimus, stellæ animatae sunt homines iusti & sancti; neque secus Sinaita lib. IV. Anagogicarum Contemplationum in Hexaëmeron (3) stellarum nomine intelligi jubet chorus Angelorum, Sanctorumque cum Christo regnantium. Suos demum laudat Anonymus commentarios in Genesim his verbis (4): “*Fructus terræ anno illo ( diluvii ) neque germina verunt, neque creverunt, neque maturescere compobati sunt, sicut in Genesim scribentes afferuimus.*”, Hoc vero Mosis volumen a Sinaita illustratum produnt cum libri XI. jampridem vulgati, tum duodecimus a Petro Allixio Londini græce & latine editus anno MDCLXXXII. sub titulo quem & alii præferunt, *Anagogicarum Contemplationum in Hexaëmeron*; qui tamen non sex dierum tantum, ut falso inscribitur, historiam, sed alias præterea post creationem res gestas mystice explicat. Atque hinc merito colligimus integrum nos non habere Sinaitæ Commentarium in Genesim; sed alios hujus argumenti libros vel injuria temporis consumptos periisse, vel adhuc latere; ubi fortassis auctor quo loco differuit de Noachico diluvio, terram aquis obrutam, id temporis omnino infecundam descriperat. Sed quidquid de nostra hac conjectura docti viri censeant, illud saltem concedant necesse est, Anonymo in Jobum nil prouersus tale merenti fœdam inuri Arianæ impietatis notam, utpote Scriptori Orthodoxo, qui non Fidem Nicenam improbat, sed Tritheitarum hæresim suis temporibus Ecclesiæ infestam.

V. Eamdem atque in Jobum Homiliae fortem subierunt Tractatus in Psalmos, & quidem plurimi ab Episcopo Pictaviensi latine redditi. Aurei enim qui supersunt ejus tractatus in Psalmos nullam habent, si pauca quædam excipias, cum Ori-

(1) Vid. Gretserum Tom. IX. Max. Bibliot. PP. Lugdun. pag. 808.

(2) Vid. Fabric. l. 1. Cap. V. & VI.

(3) Tom. IX. Max. Bibl. PP. Lugdun. pag. 677. E.

(4) In Jobum Tom. II. Origen. ed. Benedict. pag. 754. B.

Origenianis fragmentis affinitatem; neque de insigni hoc, quod Hilarius posteritati reliquit, ingenii sui monumento verba facit Sanctus Hieronymus iis in locis, ubi ait Sanctum Antistitem captivos græci scriptoris sensus in suam linguam victoris jure transferre. Dolendum sane collectionem hanc ad nos mutilam pervenisse: grates vero habendæ plurimæ doctis viris, qui nulli diligentia pepercérunt, ut huic malo mederentur. Nec inanis omnino fuit labor Petri Coutantii; aliquot enim tractatibus illam auxit, nempe in Psalmum IX. XIII. & XCI. Totidem reperit Edmundus Martenius Hilarii nomine insignitos, sc. in Psalmum XV. XXXI. & XLI. quorum expositiones desunt in editis operibus Sancti Doctoris. In his vero doctissimo Ascetæ visum est Hilarii methodum ac stilum, nec non Scripturæ versionem ab eo adhibitam animadvertere, atque idcirco illas eidem tribuit: cuius judicio post Scriptores Historiæ litterariæ Galliarum nuper subscriptis Andreas Gallandius Oratorii Veneti Presbyter in Prolegomenis ad Tom. V. novissimæ Bibliothecæ SS. Patrum Cap. IX. num. IV. Mihi vero, quin viris summis aliquid detractum velim, nonnulla afferre lubet, quæ me valde anticipitem tenent, ac tantum non retrahunt ab illorum sententia amplectenda.

Primo siquidem non eamdem uterque usurpat sacrorum librorum interpretationem. Nam S. Hilarius in Psalmum CXXXI. v. 13. habet: (1) *Quoniam elegit Dominus Sion; præsagit eam in habitationem sibi.* Alter vero (2): *Quoniam elegit Dominus Sion; complacitam habuit inhabitationem sibi.* Ille sæpe referens celeberrimum Apostoli testimonium in Epistola ad Philippenses, constanter legit, *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* atque hoc velut invicto arguento, quemadmodum & cæteri Patres, utitur adversus Arianos: Alter, præterquamquod reddit parem (3), nihil de Christi Divinitate vel leviter attingit: iisque interpretibus, numero paucis, adjungi pos-

(1) num. 18. Oper. Tom. I. pag. 511.

(2) In Psalm. XLI. num. 2. Bibl. PP. Tom. V. Pap. 90.

(3) In Psalm. XLI. num. III. pag. 99.

test, qui genuinum Paulini loci sensum non sunt assecuti. Majus est discrimen inter Hilarium & auctorem a Martenio editum in commate 5. Psalmi XXXI. Hilarius Davidica verba ita refert (1) *Iniquitatem meam ego agnovi, & peccatum meum non abscondi.* Alter (2): *Peccatum meum cognitum mibi fac: qua supposita lectione, distinguendum statuit inter iniquitatem, quæ ignota esse nequit, & peccatum, scilicet ἀνομία [ ita enim sanandus locus, ubi legitur hoc verbi monstrum, Ansdayan] qua voce innui docet tempus illud, quo sine lege vixerat mundus, tum etiam curas hujus saeculi, quarum imagines invitis hominibus piis frequenter occurunt.* Quare, inquit, iniquitatem ut sibi plane perspectam Psaltes fatetur: *peccatum vero cognitum sibi fieri deprecatus est.* Differre quidem iniquitatem a peccato etiam Hilarius tradit l. c. illam enim, utpote transgressionem legis Dei judicat graviorem; cum peccatum (ἀνομία) illi sit quidquid extra legem delinquitur, uti sunt gentium crimina; sed nullum statuit in hoc discrimen, quod iniquitatem suam quidem poenitens agnosces, non vero peccatum, preces ad Deum fundat, ut sibi cognitum fiat. Cæterum ex eodem fonte uterque hausisse videtur distinctionem inter ἀμαρτίας, & ἀνομίας. Origenes enim lib. IV.: Commentariorum in Epistolam ad Romanos num. I. hæc habet interprete Rufino: “*Iniquitas (3) sane a peccato hanc habet differentiam, quod iniquitas in his dicitur, quæ contra legem committuntur: unde & gratus sermo ἀνομίας (lege ἀμαρτίας) appellat iniquitatem: Hoc vero, scilicet peccatum [sive ἀνομία] est, quod sine lege committitur.*”

Secundo aliud argumentum dubitandi an tres illi tractatus parentem habeant Confessorem Hilarium, nobis præbet allegorica interpretatio auctori de quo differuimus familiaris, eademque prorsus ignota Sanctissimo Pictavorum Episcopo. “*Ossa, inquit ille (4), spiritualiter quid estimemus, frequenter notavimus; quia sicut corporis sui stabilimentum & for-*

*titu-*

(1) In Psalm. CXXIX. num. 8. Tom. I. pag. 494 495.

(2) In Psalm. XXXI. num. IV. et V. Bibl. pag. 88.

(3) Origen. Oper. Tom. IV. pag. 524. et seq.

(4) In Psalm. XXXI. num. III. Bibl. Tom. V. pag. 88.

titudo patientia est. „ & rursus (1) „ Quod autem ait: confringit ossa mea, non utique proxima mors subintelligendum est, sed quia heic in tribulatione frangebatur patientia ejus, quae est stabilimentum & fortitudo mentis nostra, sicut ossa sunt corporis. „ Hilarius ne semel quidem, nedum frequenter, in illis tractatibus, qui extant, hac utitur allegorica explicatione. Vocem hanc ossa aliter interpretatur (2) in Psalm. LII. num. 16. “spes aeternitatis in ossibus significari solet. Integrum autem & incorruptam spem aeternitatis significari in ossibus etiam illic meminimus, ubi dicitur: custodit Dominus omnia ossa iustorum &c. quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem sacramentum ejus sub ossium significatione fit revelatum. „ Vides heic citari Tractatum in Psalmum XXXIII. quem desideramus; in quo pariter significari ea voce docuerat spem beatæ aeternitatis, qua justi aliquando fruentur. Alibi vero (3) ad illa Davidis verba, Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, ait justos ita animo comparatos esse, ut veluti sua defleant aliorum mala „ Omnes enim unius corporis membra sumus, ut & in altero Psalmo ait: Dispersa sunt omnia ossa mea, non utique ea ossa, per quæ corpus nostrum in hanc firmitatem virtutis continetur; sed quia omnes unum corpus sumus, & invicem membra sumus, corporis nostri ossa sunt cæteri. „

Dissentient quoque in explicandis verbis illis: effudi in me animam meam. Etenim Sanctus Doctor nos admonet (4) “ effundendum coram Deo omnem affectum, ut nihil nobis fiducie sit, sed ut per eum, ante quem nos pro peccatis effundimus, adjuvemur. „ Et “ effusionem animæ in lacrymarum profusione sitam esse, quia per eas rogandus est qui est solus fidelis adiutor. „ Nihil cum his commune habet alter in Psalmum XLI. Sed idem illi est (5) effundere animam, ac illam projicere, perdere, ac vilem aestimare, quoties persecutions & improperia propter Dei nomen justis ferre contigerit.

Mul-

(1) in Psalm. XLI. num. XIV. Pag. 93.

(2) Tom. I. pag. 103.

(3) In Psalm. CXL. num. 15. pag. 598.

(4) Tract. in Psalm. LXI. num. 6.

(5) num. IV. pag. 90.

Multo minus Hilarium nobis exhibent quæ leguntur in Psalm. XV. num. V. ubi de Christo Patrem orante, ut a se transeat calix proximæ passionis & mortis, auctor illius commentarii hæc habet: “secundam interiorem hominem consentiebat legi Patri, ut pateretur; secundum exteriorem autem, ut ipse testatur, in carne trepidabat.”, Hæc inquam, Episcopo Pictaviensi minus convenient, qui nusquam *interioris & exterioris hominis distinctione usus est.* Sed cum sibi refellendi essent Ariani, qui dispensationem assumpti corporis ad divinitatis trahebant contumeliam, ut (1) non ejusdem cum Patre substantiæ Filium esse probarent, minorem quamdam ejus divinitatem, utpote passionis capacem, reapse dolores, & mortem subiisse dicebant; ut horum, inquam, impium dogma refelleret, tristitiam Christi, metum, dolores, mortem (2) constanter referat ad naturam assumptam, adeo ut *infirma omnia passus pro nobis sit secundum hominem, non secundum Deum.* Neque secus salutiferæ passionis mysterium explicant cæteri Ecclesiæ Patres adversus Eutychem & Monothelitas: duas nimirum in Christo naturas & voluntates secernunt, quin ad illud certamen inter hominem interiorem atque exteriorem confugiant, cuius ope nodum solvit interpres Psalmi XV. a Martenio editus. Cæterum interioris, & exterioris vocabula adhibuit etiam Hilarius, sed longe alio sensu; illud enim referat ad Dei formam: hoc ad formam hominis. “*Cum id, inquit (3), quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio*”.

In his demum trium Psalmorum explanationibus frustra quæras scriptorem Sancti Hieronymi judicio (4) suis temporibus disertissimum, & latinæ eloquentiæ Rhodanum, qui Gallicano cothurno elatus longis interdum periodis involvitur. Hunc præsertim characterem servant Hilarii Tractatus in Psalmos auctore Fortunato in ejus vita num. 14. “*Quis, ait, abun-*

(1) Vid. Petav. De Incarnat. Lib. X. Cap. V. num. 1.

(2) Coutant. Præfat. Gen. a num. 98. ad 100.

(3) In Psalm. LXVIII. num. XXV. Vid. Coutant. l. c. num. 106.

(4) Vid. Testim. a Coutantio collecta Tom. I. pag. CLIII.

abundantiam rigantis ingenii contendat evolvere, aut ejus verba verbis valeat exequare? Qualiter ille indivisa Trinitatis liberos stilo tumente contexuit, aut scripta Davidici carminis sermone cothurnato per singula reseravit? „ Nullus heic, aut plane cæcilio, visitur splendor & abundantia dicendi: numerus orationis nullus; nulla demum ingenii Gallicani sublimitas.

VI. In veteri codice Martenius ultimo loco descriptum reperit sermonem in die Paschatis ad Neophytos, in quo Psalmus CXLIX. explicatur: Qui quidem sermo, ut idem ait, si non est Hilarii, saltem antiquissimi est scriptoris; atque idcirco dignum censuit, qui publica luce donaretur. Ut de hoc quoque nonnulla proferam, haec tenus, aut ego fallor, a nemine observata, auctor Hilario nitidior Origenem pluribus in locis non imitatur modo, sed exscribit, quemadmodum ex iis, quæ supersunt in hunc Psalmum Alexandrii Doctoris fragmentis quisque perspiciet.

1. Anonymus num. I. (1)

“ Novus homo est, sicut dicit Apostolus, qui secundum Deum creatus est. Et iste est novus, qui cantare potest Domino canticum. ”

Origenes (1).

Ἔτος ἀδει καὶ νότος. ille canit canticum novum, qui vernerem hominem secundum erroris desideria corruptum depositit, & novum induit, qui secundum Deum creatus est.

2. Anonymus num. II.

“ In Ecclesia sanctorum. Non dixit, quia potest hoc unus sanctus implere, aut duo vel tres, sed Ecclesia & congregatio multorum. Sicut enim multi malignantes Ecclesiam faciunt malignantium; ita multi sancti in unum congregati faciunt Ecclesiam Sanctorum. ”

Origenes.

ως ωχ ωραιος αινος &c. Quemadmodum non est speciosa laus in ore peccatoris; ita nec in Ecclesia malignantium, sed in Ecclesi-

(1) Vid. Galland. Bibl. SS. Patrum Tom. V. pag. 93. & seq.

(2) Vid. Selecta in Psalmos, Operum Tom. II. pag. 846. & seq.

72  
clesia Sanctorum: idque in hac portis, quam in uno aliquo aut paucis.

3. Anonymus num. III.

“ Lætetur Israel in eo qui fecit eum . . . faciamus hominem . . . & plasmavit hominem. In quo utique si ( quis ) diligenter prospicit , videt illum interiorem , qui ad imaginem Dei est , qui & israel nominatur , factum dici : illum vero , qui de terra limo est , plasmatum nominari . . . Lætetur ergo Israel , qui est interior homo secundum imaginem Dei creatus , super eo qui fecit ipsum , non qui plasmavit ; sed qui fecit : quia hoc a rationabilem spiritum pertinet , illud ad materiam corporalem . ”

Origenes.

ἐπεὶ περὶ μὲν &c. Cum de illo quidem , quod est secundum imaginem , dictum sit , fecit ( ἐποιησεν ) ; de eo vero , quod est de pulvere , dictum sit , plasmavit ( ἐπλάστη ) ; & sancta latitia consistat in eo , quod est secundum imaginem ; idcirco Israel jubetur latari in eo qui fecit eum .

4. Anonymus num. VI.

“ Quoniam lex spiritualis est , non adducimur per hanc ut maficis delectemur ; sed intelligimus tympanum dici de iis , qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis ; hoc enim per lignum efficitur . ”

Origenes.

οἱ μὲν υπερώτατες &c. Qui mortificant membra sua , quæ sunt super terram , eaque in lignum agunt , ut simul cum Christo crucifigant principatus & potestates , hi in tympano canunt Deo .

5. Anonymus num. VII.

“ Consequens videtur in alto esse illam terram , quam mansueti in hereditate percipiunt . De ista vero terra , in qua nunc sumus , dicitur , quæ deorsum est . Exaltabit te , ut heredites terram , illam sine dubio in qua est Jerusalem Cœlestis . ” Et num. VIII. ” Exultabunt sancti in gloria . In qua gloria ? non in illa , quam Moyses habuit , ( sed ) de qua dicit Apostolus : vos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculamur . ”

Origenes.

ὑὸς ὑψωτεροῦ προφῆται &c. Et exaltabit mansuetos in ea quam mites hereditate accipient terra , non inferiore , sed illa ubi est super-

perna Jerusalem. "Et: „exultabunt Sancti in gloria. In quali gloria? Utique de qua dicit: Qui gloriatur, in Domino gloriatur, vel in tali, quam Moyses habuit, quando glorificata est facies vultus ejus; & de qua Paulus ait: Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes &c.

6. Anonymus num. IX.

"Impiorum & eorum, qui operibus mortui sunt, sepulcrum patens est guttus eorum. Sancti vero... exaltationes Dei sunt in gutture eorum. ,,

Origenes.

Ὥν & τάπος &c. Quorum guttus non est sepulcrum patens; horum exaltationes Dei sunt in gutture eorum.

Alia conferre non licet, cum Anonymi Sermo ad Neophytes mutilus ad nos pervenerit. Sed manum e tabula non detrahant, quin paucis explicem, cur Origenes, eumque fecutus latinus auctor num. VI. dixerit eos, qui carnem suam crucifixerunt, psallere in tympano. Hæc autem allegorica interpretatione facilius in græco textu percipitur. Nam apud Græcos τύμπανον nedum musices instrumentum est; sed etiam, uti fuis ostendi in Opusculo *De Altis Martyrum Lugdunensis*, sumi solet pro quolibet supplicii genere, quod mortem afferat. Itaque Celsus, ut aliis parcam exemplis, refert Jesum Christum ἀποτυμπανοθῆναι, quem procul dubio noverat cruci affixum obiisse. Hanc verbi significationem Origenes allegoriis indulgens libenter arripuit; indeoque psallere in tympano ait illos, qui membra sua cum Christo in lignum, seu in crucem agunt. Porro hæc regia est via (1) a qua sectatores Christi discedere non licet. Si enim compatimur, & conregnabimus. "Quod præmium non eis tantum paratum est, qui pro nomine Domini impiorum servitia sunt perempti; quoniam universitas Deo servientium Deoque viventium, sicut in Christo est crucifixæ, ita est in Christo coronanda: illis quidem in omni gloria præcellentibus, qui terribiles mortes, & sæva tormenta usque ad exhalationem spiritus tolerando superaverunt; sed etiam iis subsequentibus;

K


qui

(1) S. Leo M. Serm. LIV. de Passione II. Cap. III. & Serm. LXIX. de Pass. XVIII. Cap. V. Baller. ed.

qui avaritiae cupiditatem, superbia elationem, desideriaque luxuria, carnis sue mortificatione vicerunt. Unde merito Apostolus ait, quod omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur: *cujus utique non est extraneus, qui non est pietatis alienus.* ..



D E  
SANCTO HIERONYMO  
INTERPRETE  
HOMILiarum ORIGENIS  
IN ISAIAM.





## SYNOPSIS.

I. In Homiliis Origenis latine reddendis Sanctus Hieronymus elegantiam neglexit. II. Non omnibus Homiliarum versionibus prologum fecit. III. Homilias in Isaiae visiones, quae latine extant, Hieronymo interpreti Rufinus tribuit: Rufino igitur adscribi nequeunt.

**D**ominicus Vallarsius Presbyter Veronensis latinam interpretationem homiliarum Origenis in visiones Isaiae censuit abjudicandam Sancto Hieronymo, cui hactenus nemine, quod sciam, refragante, adscripta fuerat. Quæ vir doctus argumenta profert recensere, atque diligentius expendere operæ pretium duxi. Quamquam enim parum aut nihil hoc intersit sanctissimi interpretis, cuius nomen cum ob innumera ingenii doctrinæque monumenta, tum etiam ob alias Græciæ opes, quibus Latium ornavit, inter Ecclesiæ scriptores eminet; plurimum tamen interest, vera, ut ut levioris videantur momenti, defendere, atque sedulo perspicere, quid in quacumque re verum sit potius quam novum.

I. Optimum, inquit Vallarsius [1], antiquis Scriptoribus internoscendis argumentum est, quod a stilo dicitur. Quantum vero a Hieronymiana elegantia absit interpres homiliarum in Isaiam, is tantum ignorare potest, qui numquam Sancti Doctoris scripta pervolutaverit: adeo semilatinum, incompositum, suboscurum, atque ad græcam syntaxin pueriliter effictum est scribendi genus, quo abutitur latinus homiliarum interpres. Quis enim ( ait ) ferre possit, aut Hiero-

ny-

---

(1) S. Hieronymi Opera Tom. IV. Præf. pag. XIV.

nymo digna existimare hæc sequioris ævi vocabula : *nuncupatus, principari, speculatorius, turpiloquium, figuraliter, invenibile, magniloquax*, aliaque hujus furfuris, quibus scatet latina versio? Hæc sunt quæ primo loco Vallarsius opponit. Atque hoc ipso argumento olim conatus est Bochartus Homilias in Ezechielem eidem interpreti eripere. Sed Calvinianum hominem Huetius refellens, sapientissime animadvertisit (1) argumentum a stilo sumptum rem periculi plenam esse, & quod voces attinet, condendum prius Glossarium sat accuratum, quam decernere liceat hanc vocem vel illam numquam usurpatam fuisse ab auctore, de quo disputatio instituta est. Tum allatis exemplis dictionum quarumdam apud Hieronymum Abrincensis Episcopus ab adversario petit, an opera illa ut adulterina rejicere in animum inducat? An ignoras, inquit, ad tribunal Christi raptum pœnas dedisse, quod Tullio legendō vacaret; quo ex tempore cultiores litteras neglexit? Hinc sit ejusdem Præfus judicio, ut libri, quos senior composuit, *barbari* sint, quemadmodum ipsemet Hieronymus fatetur in Prologo lib. III. Commentariorum in Epistolam ad Galatas, ubi ait omnem sermonis elegantiam, & latini eloquii venustatem Hebraicæ linguae stridore sibi desperitam. Hæc doctissimus Huetius; cuius tamen postrema observatio, ut præterea paullo severiorem esse, nihil causæ huic nostræ prodest. Nec enim Doctor Maximus hebraicæ lingue dabat operam, neque senio confectus erat, quo tempore latinis hominibus dedit Origenis Homilias. “*In adolescentia* ( inquit lib. II. Apologiæ adversus Rufinum num. 24.) *homilias tantum ejus, quas loquebatur ad populum, in quibus non tanta scandala tenebantur, simpliciter rogantibus transili.* „ Cæterum nihil verius, quam iemilatinas, & barbaras voces in iis libris, ubi Hieronymus interpretis personam agit, non raro legentibus se offerre. Vallarsius igitur perperam ex homiliis in visiones Isaiae colligit quasdam hujusmodi voces; cum iisdem omnino vel affinibus redundant homiliae in Jeremiam & Ezechielem, quas uti genuinas, sive a Sancto Do-

cto-

(1) Tillader Dissert. sur diverses matieres. Paris 1712. Tom. I. pag. 41. 42.

ctore in nostram linguam translatas idem Vallarsius edidit Tom. V. collectionis Hieronymianæ. Qui cum sero didicil-  
set, Doctorem maximum semel atque iterum usurpare dictio-  
nem hanc, *nuncupativus* (1), deleri postulat quod se dixi-  
se meminit in Præfatione Tomi IV., nullibi scilicet a Hiero-  
nymo adhibitam reperiri. Verum hoc idem observandum e-  
rat de verbo *principari*; quo idem interpres utitur Hom. III.  
& VIII. in eundem Prophetam (2): ut præterea ita lo-  
qui non insimæ notæ scriptores, quorum nonnullos in no-  
tis ad Bachiarium attulimus, plures vero addere in promptu  
esset, ac præsertim Augustinum lib. I. de Nuptiis & concu-  
piscentia Cap. IX. n. 10. ubi docet naturali ordine viros po-  
tius feminis, quam viris feminas *principari*. Nemo præterea  
inficias eat barbaram esse vocem *figuraliter*. At nihil secius  
familiaris est (3) Homiliarum in Jeremiam & Ezechielem in-  
terpreti, qui hoc uno vocabulo reddit quod Origenes, plu-  
ribus modis expreßerat, scilicet (4) προσχήματος ἐνεκεν: τρο-  
πικῶς: συνενδοχικῶς: μυξικῶς —. Speculatorum autem, quod  
critico Veronensi displicet in interprete homiliarum in Isa-  
iam, non est minus elegans, ac sit *cogitatorium*, seu *meditato-*  
*rium*, quod (5) jure Latii donare Hieronymo placuit. Sed præ-  
stat alia plura hujus characteris vocabula, & græcanicas phra-  
ses decerpere ex homiliis in Jeremiam & Ezechielem; ut ne-  
mo ex hoc capite, quin Origenianæ illæ novem in visiones  
Isaïæ ex eodem prodierint interprete, revocare possit in du-  
biū. Utremur autem Cl. Vallarsi editione, quæ illas exhi-  
bet, ut jam dictum est, Tomo V. Operum Sancti Hiero-  
nymi.

1. Vide quid acciderit in Ægypto a fame. 877. c. ab æ-  
grotatione decorem suum perdat. 999. A.

2. Major ab Israelita 931. B. Deteriores ab his lignis 932.  
A. Timore majore ab eo. — caritate majore ab ea. 941. A.

3. Ac-

(1) Homil. II. in Jerem. pag. 719. & seq.

(2) Tom. V. pag. 779. B. & 818. E.

(3) Tom. V. pag. 775. C. 816. B. 822. B. 864. B. 891. A. 927. A. 961.  
C. 983. C.

(4) Origen. Oper. Tom. III. Ben. pag. 184. E. 194. A. 207. C. 234. D.

(5) Vid. Hom. XIII. in Ezech. pag. 998. C.

3. Accidentium diversa moderatur. 780. B. — quiddam significare mysterii. 856. A.
4. Accipietis *ad plenum* 902. B. *in semel natum*. 804. B.
5. Supplicium aquacius, seu meracius. 824. A.
6. Alieni eramus testamentorum & reprobationis. 871.
- A. Digna vita 770. C. Indigni velocioris medelæ 972. E.
7. Amaroris 986. F. Dulcore. 985. F. Dulcoratur. 815. E.
8. Capituli continentia 765. B. sequentia scripturæ 913. E. 931. C.
9. Comprophetantes. 797. B.
10. Consutiones nequissimas 908. B.
11. Scit enim ab his differentias (sc. τὰ διαφέροντα, *præstantiora*). 750. A.
12. Feliciter gesserit (*εὐπρόττειν*) pag. 989. C.
13. Gravitudo 887. G.
14. Humilitatio 770. C.
15. Incontritus, & inconvincibilis. 771. B.
16. Inanimales nubes 796. C. Inferaces bonorum. 887.
- C. Vineas inferaces 932. A. Infertilitas 914. C. 918. E.
17. Intentatio cordis. 905. B.
18. Inoperatur. 969. B. (*ἐνεργήται*). Repausare (*ἀναπαύεσθαι*) 992. A.
19. Placitionem sui 968. C.
20. Principale cordis (*τὸ ήγεμονικόν*) 755. E. 768. A. alibi.
21. Animas hominum regnatas a peccatis (*βασιλευομένας*) 748. B.
22. Quantum recipere potest. 762. E.
23. Subjacens. 778. E. 779. A. 795. B.
24. De eo sublevantur. 829. C. (*se efferunt*).
25. Sapientiam stultificandam 801. A. Mirum non est hæc atque alia, quæ fastidiosas aures offendunt, in his homiliis occurtere. Has enim Sanctus Doctor ab Adamantio ad populum habitas, cum adhuc, uti monuimus, adolescens latinitate donaret, id unum sibi proposuit (1), *ut idioma su-*  
*pra-*

(1) Vid. S. Hier. Prologum ad Vincent. inter Origenis Opera Tom. III. pag. 353. & apud Vallars. Tom. V. pag. 741.

prædicti viri, ac simplicitatem sermonis etiam translatio conservaret, omni rhetoricae artis splendore contemptu. Argumentum igitur a stilo ductum nocet potius quam faveat eruditissimo viro; nec enim in Origenis tractatibus, quos Sanctus Hieronymus interpretatus est, eam querere debemus elegantiam & venustatem, quam in ceteris ejus libris omnes merito suspiciunt.

II. Ast novem illæ in Isaïæ visiones homiliæ, de quibus nobis est quæstio, prologo carent: quod unum esse discrimen ad Hieronymianas ab aliorum versionibus secernendas monuit Gelasius. Altera hæc est Vallarsi difficultas, cui ut satisfiat, Gennadii (de hoc enim vir doctus loqui voluit, non de Gelasio) Gennadii, inquam, testimonium referre juvat Cap. XVIII. de Viris illustribus. “Horum omnium, ait (scilicet Græcorum, quos ibidem recenset) quæcumque præmissis prologis a latinis leguntur, a Rufino interpretata sunt. (Quæ autem sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit) Origenis non omnia; quia & Hieronymus translatulit aliquanta, quæ sub (forte suo) prologo discernuntur.” Ex his discimus Sanctum Hieronymum & Rufinum suas quemque versiones Epistola quadam seu prologo exornare consueuisse. Id saltem Gennadius affirmat. Sed quis inde concludere ausit neutri adjudicandas quæcumque prologo carent? Illa enim, quæ autem sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit, quis non videat scholion esse hominis imperiti, quod Gennadio invito in textum irrepit? Hoc proinde glossema deest in codice Corbejensi antiquissimo, cuius potior nobis auctoritas est, utpote magis consoni menti scriptoris. Hic enim sermonem de Rufino institutum prosequi volens, addit non omnia Origenis, quæ latini legebant, eidem interpreti accepta esse referenda, cum & Hieronymus, ut Prologi declarant, nonnulla reddiderit. Sed quamquam Gennadius ita scripsit, ejus testimonio parum moveor; nec enim satis accuratus est, uti jampridem monui in Bachiaro illustrato. Nemo quidem negaverit, quin Hieronymus plerosque Origenis libellos a se translatos præfatione auctos viris nuncupaverit ac fœminis, dignitate, doctrina, religione illu-

illustribus. Sed nonne fecus ei agere licuit, ac sine prologo in lucem emittere homilias in visiones Isaiæ? Exemplum sane luculentissimum habemus homiliarum XIV. in Jeremiam, quæ sine prologo ad nos usque pervenerunt. Nam ille, quem Vallarsius (1) his, ac totidem in Ezechielem præficiendum curavit, si qua pars est diligentia expendatur, peculiaris & proprius est homiliarum dumtaxat in alterum hunc Prophetam: quod ex his interpretis verbis aperte colligimus. “*Post quatuordecim homilias in Jeremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum, & HAS quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi.*” Has, non illas in Jeremiam, quas jampridem reddiderat, inscribit Vincentio Presbytero. Quam ob rem in recentiore editione Operum Origenis, quam Carolus de la Rue adornavit, hæc ad Vincentium Hieronymi Epistola inscribitur, *Prologus in Ezechielem* [2]: alia vero totidem numero in Jeremiam, & in Isaiam novem nullo prologo sunt insignitæ. Hac autem in re doctissimus Benedictinus cum editionum omnium, tum veterum librorum fidem secutus est. Quotquot enim aut ipse lustravi, aut plures ante annos opem ferente Jo. Francisco Bernardo-Maria de Rubéis O. P. viro clarissimo consului, typis editæ collectiones Origenianæ, non alio ordine collocant prologum, de quo agimus. Nam in Veneta per Lazarum de Soardis die IX. Martii 1513. pag. XLVIII. laudata ad Vincentium Epistola sic inscribitur: *Praefatio Sancti Hieronymi Presbyteri in tractatum super Ezechielem.* 2. Merlinus Huetio teste (3) in editione Parisiensi 1512. hunc titulum posuit: *Prologus translatoris ejusdem*, nempe Sancti Hieronymi, cui interpretatio præcedentium homiliarum in Jeremiam merito adscribitur. 3. Opera Origenis in lucem denuo prodierunt Parisiis 1574. cura Genebrardi; cuius editio ibidem repetita fuit anno 1619: utraque vero eundem retinet ordinem, ut nimirum præcedant homilia XIV. in Jeremiam, dein medium teneat locum Epistola ad Vincentium; statim autem pares numero in Eze-

(1) S. Hier. Operum Tom. V. pag. 741.

(2) Origen. Oper. Tom. III. pag. 353. Paris. 1740.

(3) Tillades. Dissertations &c. Tom. I. pag. 36. 37.

zechielem homiliæ subsequantur. 4. Demum Basileæ apud Frobenium anno 1557. pag. 693. inter homilias in utrumque Prophetam apparet *Prologus Hieronymi in Ezechielem*. Codices quod attinet manu exaratos, consulendus Huetius in Epistola ad Samuelem Bochartum; cuius intererat obscurum homiliarum in Ezechielem, aliumve a Maximo Doctore interpretem comminisci. Verum quid plura? Rufinus demum noster Invectivarum lib. II. num. 13. ut ostendat Origenem olim a Hieronymo fuisse celebratum, hæc habet: “*Ex præfatione interpretationum in Ezechielem, quatuordecim homiliis, sive oratiunculis Origenis, scribens cuidam Vincentio, magnum est, inquit, mi amice, quod postulas.*” Non igitur ad omnes XXVIII. (quam summam conficiunt homiliæ in Jeremiah, & Ezechielem, quas Hieronymus translatis) sed ad posteriores XIV. prologum pertinere adeo certum est, ut ne divinare quidem possimus, cur Vallarsius ordinem invertere maluerit. Cum vero priores XIV. ut hactenus demonstratum est, prologo careant; statui nequit veluti canon, omnes Sancti Doctoris e græco versiones prologo insigniri; nec argumentum ex interpolato Gennadii loco sumptum habet quidquam roboris, ut homilias in Isaiam ab alio, qui prologum facere noluit, latio donatas fuisse opinemur.

III. Id unum difficultatem aliquam parere videtur, quod Vir Sanctissimus de sua quidem versione homiliarum in Jeremiah verba faciat cum in saepius laudata ad Vincentium Epistola, tum in libro de Viris Illustribus Cap. CXXXV.: illarum autem, quæ in explicandis Isaiae visionibus versantur, nusquam meminerit. Sed hoc ejus silentium nihil juvat causam Vallarsi; cum in promptu sit testimonium Rufini, qui fidenter Hieronymo objicit homilias in hunc Prophetam latine ab eo redditas, ut jamdiu observavit diligentissimus Tillemontius. His tamen non acquiescens editor Veronensis, contendit Invectivarum auctorem nihil prorsus cogitare de his Origenianis tractatibus in Isaiam; sed cavillari, & Hieronymo opponere, quod visionem Prophetæ de duobus Seraphim Dei solio adstantibus in Epistola ad Damasum (1) detorqueat

ad duo testamenta, vetus & novum: quam Origenes explicaverat de Christo & Spiritu Sancto; hanc igitur contendit vir doctus esse opinionem illam, quam Presbyter Aquilejensis notat ab interprete Hieronymo ad mitiorem sensum traductam fuisse.

Sed omnium stultissimus fingitur Rufinus, qui ut probet sibi licuisse quædam emollire, quæ in libro de Principiis a se latine redditio videbantur absurdæ, abuti velit exemplo sumpto ex Epistola ad Damasum, quam se Hieronymus ipse (1) non ex græco vertisse, verum dictasse refert, *ut experimentum capere ingeniali sui*. Rufinus, inquam, non ita desipuit. Sed libro II. Invectivarum num. 40. ubi revocat ad examen interpretationem Hieronymi, hoc potissimum sibi proponit demonstrandum: apud latinos interpres morem esse receptum, ut si qua in libris Origenis religiosas aures offendere possent, ea taciti præterirent, vel aliquantulum emendare conarentur. Hac ipsa œconomia se usum fuisse profitetur, cum aliorum, tum imprimis Hieronymi exemplum securus. „ *Si te, inquit, imitantes de hominum sermonibus aliquid minus addicare credidimus, prætermisimus, in his veniam non das, in quibus exemplum dedisti.* „ Qua fronte vero poterat conferre libertatem, qua vertit libros de Principiis, cum libello ad Damasum, ubi auctori licebat suam de duobus Seraphim proferre sententiam? Sed Vallarsius hæc scribentem (quod humanum est) proculdubio fugit insignis locus Invectivarum lib. II. num. 26. ubi hæc leguntur. „ *Denique in homiliis Isaiae Visio Dei (legendum suspicor, ubi Dei) Filium & Spiritum Sanctum (Origenes) reculit, ita tu translustisti, adjiciens ex te quod sensum auctoris ad clementiorem traheret intellectum. Ais enim (legendum, ait, nempe Origenes) Quæ sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Jesus Christus, & Spiritus Sanctus; & ex tuo addidisti: ne putas Trinitatis dissidere naturam, si nominum servantur officia.* „ Atqui verba hæc desiderantur in Epistola ad Damasum; extant vero in collectione illa (2) quam uti Hieronymo indignam Vallarsius ad Appendi-

(1) Comment. in Isaiam Lib. III. Cap. VI.

(2) Homil. I. Tom. IV. pag. 1099.


cem Tomi IV. rejicit, ubi legere est absurdum Origenis Commentarium, & benigniorem Hieronymi interpretis additio-  
nen; “Quae sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Jesus Christus, & Spiritus Sanctus. Ne putas Trinitatis deserere natu-  
ram, si nominum servantur officia.” Quo loco obiter mo-  
neeo, non deserere, sed dissidere legendum esse, uti legebat Rufinus, utque legi in codice majoris monasterii Turonen-  
sis refert Carolus de la Rue (1). In hoc vero Hieronymianæ œconomia exemplo Rufinus adeo sibi plaudit, ut ejus-  
dem libri num. 46. memoriter scholion repeatat in hunc mo-  
dum. “Sicut ille in homiliis in Isaiam duo Seraphim Filium & Spiritum Sanctum interpretatus est, & addens de suo: Nemo existimet in Trinitate naturæ esse differentiam, cum nominum discernuntur officia; per hoc curare se offendicula credit potuisse; ita & nos vel ademptis quibusdam, vel additis sensum au-  
toris traducere conati sumus ad intelligentiae tramitem rectio-  
rem.” Ne verbum quidem habet de veteri ac novo testa-  
mento, quæ Hieronymus scriperat a duobus Seraphim ad-  
umbrari in libello ad Sanctum Romæ Pontificem; sed locum  
opponit homiliæ in Isaiam, in qua cum primigenio aucto-  
re duo Seraphim esse Jesum Christum, & Spiritum Sanctum  
aperte tradens, de suo addendum censuit Trinitatem unius  
esse ejusdemque naturæ, ne forte ex Origeniana explicatione  
Filius, & Spiritus Sanctus Patre minores esse putarentur.  
Perperam igitur suspicatur Vallarsius Rufinum loqui de Epi-  
stola ad Damasum; siquidem in hac Sanctus Doctor (2), uti  
quidam Latinorum duo Seraphim, *vetus & novum testamen-  
tum intelligit*; non autem Filium, & Spiritum Sanctum: quam  
Origenis expositionem ut interpres ad rectum sensum trahere  
conatus est; auctoris vero personam agens *velut impiam*, ac  
detestandam rejecit.

Pauca nobis dicenda supersunt de quadam Vallarsi conjectura, qui ex stili barbarie interpretationem hanc Rufino  
plane dignam suspicatur. Ut enim præteream in quibusdam  
fal-

(1) Origen. Tom. III. pag. 107. Paris. 1740.

(2) Comment. in Isaiam Lib. III. Cap. 6. et Epist. ad Pamm. et Oceanum  
LXXXIV. num. 3.

saltem Græcorum libris reddendis Presbyterum Aquilejensem minus incultum esse, quin etiam alicubi elegantem ac nitidum, ut cum voluptate legi possit: ut præterea ejus stilum ad græcam syntaxin non esse pueriliter effectum; adversus hanc Critici Veronensis conjecturam utar invicto Pearsonii arguento. “*An Rufini interpretatio esse potest quam Rufinus ipse Hieronymo tribuit, & inventiva sua adeo exagitat?*” Hæc (1) Ignatii Martyris Epistolarum vindex celeberrimus reponit Blondello, qui Rufini esse contendebat Hieronymianam versionem homiliarum Origenis in Lucam: Hæc eadem nos Dominico Vallarsio, viro ceteroqui de Ecclesia ac litteris præclare merito.



FINIS.

---

(1) Vindic. Part. I. cap. VII. pp. Apost. Vol. II. Par. II. pag. 321. Ann. Rel. 1724.

V I D I T


D. Philippus Maria Toselli Clericus Regularis Sancti Pauli, &  
in Ecclesia Metropolitana Bononiae Pœnitentiarius pro Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino D. Andrea Cardinali  
Joannetto, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Camaldulensis, Archiepiscopo Bononiae, & S. R. I. Principe.


Die 15. Novembris 1788.

I M P R I M A T U R.



Fr. Thomas Vincentius Pani O. P. Inquisitor Generalis Sancti  
Officii Bononiae.







DE SANCTO GREGORIO  
ILLIBERITANO  
LIBELLI DE FIDE AUCTORE,  
NEC NON  
DE SANCTIS  
HILARIO ET HIERONYMO  
ORIGENIS INTERPRETIBUS  
DISSERTATIONES.



Color chart

 Sachverständigen-Zubehör.de

Blue  
#C9C8FF  
#0000FF

Cyan  
#C0E5FC  
#00FFFF

Green  
#759675  
#00BB00

Yellow  
#FFFFC7  
#FFFF00

Red  
#FFC9C9  
#FF0000

Magenta  
#FFC9FF  
#FF00FF

White  
#FFFFFF

Grey  
#9D9E9E  
#D9DADA

Black  
#5B5B5B  
#000000

